
CASPARIS SCIOPPI, FRANCI,

SUSPECTARUM LECTIONUM

LIBRI QUINQUE,

In centum & quatuordecim epiſtulas ad celeberrimos quoſque ævi noſtri viros alioſque amicos, facti.

In quîs amplius ducentis locis Plautus, plurimis Apulejus, Diomedes Grammaticus, alii, corriguntur, notantur, ſubplentur, illuſtrantur.



AMSTELODAMI,
Apud *Jodocum Pluymer*, Bibliopolam. 1664.

Digitized by Google

V. CL.

JOANNI GEORGIO GRÆVIO,

Eloquentiæ & Hiſtoriarum Doctori, Trajecti ad Rhenum.

R*Eddo tibi, vir doctiſſime, tuum munus, Suſpectas Scioppii lectiones, quas olim cum erudito orbe communicandas à te accepi. Quod beneficium inſitiari mihi religio fuit, quamvis & aliis nominibus tibi obſtrictus ſim. Tu enim princeps auctor mihi fuiſti ea publicandi, quibus gratiam à viris doctis inirem, ac inter alia oſtendiſti Grammaticam Scioppianam à multis vehementer deſiderari. Quam quum cupide excipi ubique locorum & gentium cognoſcerem applicui animum ad alios quoque Scioppii libellos dudum expetitos edendos. Tu verò non ſolum benigne mihi copiam feciſti quæ in tuo ſervabantur Muſæo, ſed & aliunde mihi non nulla opuſcula quæſiviſti, & præterea quotidiano quaſi convitio me inflammas ad ea vulganda, ex quibus non tam compendium inveniam quam laudem, bonæque artes illuſtrentur. Sane hac tua crebra cohortatione ita ſum incitatus ut hac ſit ſumma votorum meorum, quibus & iſtud accedit, ut diu ſalvus & incolumis ſuperſis, eaque quæ bono publico adornas brevi cum immortali nominis tui gloria compareant.*

Amſterodami ex meo Bibliopolio. Id. Januar. cIↃ IↃc lxiv.

Jod. Pluymer.

IN

SUSPECTARUM LECTIONUM LIBROS

C. SCIOPPI, FRANCI,

EPIGRAMMA

JANI GRUTERI, JC.

SI quæ vere comas virides habet arbor, & unctis
Floribus hinc atque hinc brachia picta gerit,
Illa quoque auctumnum ſtrue pomorum ubere mactat,
Cellarum ſteriles nec ſinit eſſe ſinus:
Sic quoque, ſic ævo dum, Scioppi, pubere præbes
Ingenii ſpecimen flore frequente tui;
Quos non perfectos fructus ſperare licebit,
Coxerit æſtatis te ſimul ille calor?
Fallor? an extrudes, quibus ægra nocere vetuſtas
Non queat, aut flammæ vis, pelagive mador?
Quæque expertia mortis, ab ævo triplice majus
Quottidie acquirant quottidieque decus?
Sic ſanè. nam quos puerili ætate benignis
Nutibus adſpexit Lucifer ille pater;
Inque Caballino Muſæ tenuêre fluento
Infantes, Laurus inter Apollineas:
Illorum longis vivax proventus ab annis
Ducit opes, ac ſe latius uſque novat.

PRO

PRO CRITICIS OPERIBUS
CASPARIS SCIOPPI FR.

ELEGIA

CUNRADI RITTERSHUSII

JC. & Anteceſſoris in Acad. Norimbergenſium quæ eſt Altdorphii.

PRimitias operum, Scioppi ingenioſe, tuorum
LIPSIUS ut vidit, flos hominum, iſta mihi
Perſcripſit tabulis, cara auro qua mihi contrà,
Divini expromens pondera judicii:
SCRIPTORUM Juvenis corpus ſit quale futurum,
Indicio nobis unguis hic eſſe poteſt.
Scilicet elucent iſtinc induſtria, acumen,
Quíque adoleſcentum condecet ora pudor,
Atque iſtis numerò mihi amata modeſtia in annis.
Ille modò ut ſimilis ſit ſibi, tute mone.
Proprius eſt Criticis mordere ac rodere morbus:
Hanc peſtem fugiat te monitore procul.
Nam quid ſunt ſtudia hæc, in queis conſumimus ævum,
Si nos elatos eſſe maloſque docent.
Illa viam munire decet Virtutis ad arcem;
Illa prudentes nos facere atque probos.
Hac nobis fini DI majoréſque dederunt:
Quæ niſi ſe teneant, ſunt nihil, imo malum.
Has peſtes, ſi me, ſi te audiet ille, cavebit,
Ut cavet, ac veri compos erit decoris:

Atque ſuo ſolidos producet tempore fructus,
Queis queat eſſe aliis utilis atque ſibi.
Noſſe mihi videor redivivum in eo GULIELMIŨM:
Quem nimis (ah!) celeri Parca obitu abripuit.
Dent Superi huic æquare illum, atque adeò ſuperare:
Certè ævi longo vincere poſſe modo.
Illi, quandoquidem ſpatium breve contigit ævi, abſolvere non licuit, quæ meditatus erat:
Ac magis oſtendit quid poſſet, ſi Deus ipſi
In terris vitæ longa daret ſpatia.
Sed properè excedens opera interciſa reliquit,
Et deſiderium triſte ſui, & lacrumas.
Leniet hæc, damnúmque ſua pro parte rependet,
Si quid de ingeniis judico, Scioppiades.
LIPSIUS *hæc ad me: Queis conſona* SCALIGER *addit*
Juliades, magni magna patris ſuboles:
Haud pridem aureola à quo venit Epiſtula nobis,
De me téque ferens candida judicia.
Vidit enim noſtrum OPPIANUM, *viſúmque probavit:*
Sic cenſens: Brevius poſſe quidem, haud melius
Illud opus fieri. Scriptum hoc juvenalibus annis
Si careat culpâ, ſat mihi id eſſe queat;
Quantumvis laudem fortaſſis non mereatur.
Laude aliqua dignum ſed tamen ille putat,
Qui mihi blandiri nihil eſt cur debeat. Idem
Téque tuóſque libros comprobat, atque lubens
Te mihi ſe magnum gratari ſcribit alumnum,
Cujus laus laudi ſit comes uſque meæ.
Hic ego quid Juni referam Merulave tabellas,
Quídve Arconati, quídve mei Hœſchelii?
Quid memorem dextra cumulatas ubere laudes
Sive tua, Poſthi, ſive Grutere tua?
Sive Meliſſe tua, Vatum pater, atque Lyræ rex,
Pindarieis illam docte animare modis:

Sive

Sive tua Werdenſteini, flos optime gentis
Suevorum, & ſummus Principibus placite:
Sive tua, Velſere, Auguſtæ qui pater urbis,
Conſul conſiliis hanc regis uſque bonis:
Qui tàm multa tenes antiqua, ſepulta, vetuſta,
Ut ſtupeat meritò, qui tua ſcripta legat:
Annales patriæ clara qui in luce locaſti,
Optime Bojaricæ conditor hiſtoriæ.
(Verùm ego quò laudum feror abripientibus undis,
Quas condignè aliud dicere tempus erit.)
Quid teſtem Ortelium ſuper his, laudemve Monavium?
Bersmanive boni, vel Camerariadæ
Judicia exponam, aut tua Bongarſi atque Frehere?
Aut aliorum etiam nomina quid cieam?
Scioppiadæ quibus eſt virtus adamata, micánſque
Vis animi, in juveni corpore ménſque ſenex.
Unum eſt judicium, & ſpes & vox omnibus una,
HUJUS *agri quod ſit magna futura ſeges.*
Omnes, Scioppiade, ſibi ſpondent omnia ſumma &
Optima de ſtudiis ingenióque tuo.
Felicem cui tanta adfulgent lumina tótque,
Quorum ope depulſæ undique ſunt tenebræ:
Doctior adſurgit meritò quibus orbis, adorans
Et venerans prono vertice judicia!
QUID *tu, age, Livor ad hæc? virtuti inimice aliena,*
Deſerte à propria: Quid tu, age, Livor, ad hæc?
I nunc in ganeis, in luſtris, pérque popinas
In vino te ipſum magnifica ad pueros:
Detrahitóque aliis, per eos quaſi ſurgere poſſis
Quos preſſum is. Ito, his carpe probata viris.
I, noménque tibi ex aliorum conde ruinis,
Dum virtute tua hoc ædificare nequis.
Quin potius procul hinc, procul i, reſtímque parato
(Vile nimis pretium eſt) & tibi ſtringe gulam.

Tu

Tu verò vive & flore, lectiſſime, téque
Perge probare bonis, & bonus & celebris.
De te unus ſi quando altérve tenebrio muſſat.
Hoc velut Ajacis te clepe ſub clipeo.
Virtuti egregia nunquam ſuus afuit hoſtis.
Laus à laudatis vera cuique venit.

CASPA-

CASPARIS SCHIOPPI, FRANCI,

SUSPECTARUM LECTIONUM LIBER PRIMUS.

EPISTULA I.

Illuſtriſſimo viro, JOSEPHO SCALIGERO, *divi JulI Cæſaris filio.*

ELeganti, urbano, ingenioſo & faceto jocorum genere Plautinas Comœdias refertas fuiſſe locuples teſtis eſt M. Tullius, adeo ut Macrobius certiſſimam & minime illam fallacem Plautinarum fabularum notaculam unicam fuiſſe ſcribſerit, jocorum in eo copiam. Sed niſi mea me opinio fallit, minus multo jocorum in iis, quæ ad nos ſuperſtites pervenerunt, fabulis apparet; inficetia eorum penes quos aliquot centum ab hinc annis illiteratæ literaturæ fuit imperium, quique plurimos facetiſſimi Comicorum jocos & cavillatiunculas Cimmeriis admodum tenebris involverunt. Præclarè de Comœdia Latina meritos ſcilicet viros ævi hujus principes, qui multa Plautinorum jocorum, inficetorum, ut dicebam, ſciolorum operâ obſcurata, ſagaciter inveſtigarunt, nobisque decimæ illius Muſæ ſtudioſis explicarunt. quorum tamen nemo eſt (liberè autem hoc à me

tibi dici patiere, Scaliger) quin tacito te cogitationis flagitio verberet, ſuper jam olim promiſſa Plautina editione tua. Sic enim omnes judicant, unum te ſeculo noſtro adfulſiſſe literarum ſolem, à quo, quæ ſinguli, docti & indocti, ignoramus, omnes edoceri poſſimus: fieri poſſe, ut tuâ demum operâ omnia ad unum Plauti joca ultro ſe etiam obeſæ naris lectoribus prodant, quæ multis jam ſeculis vel ſagaciſſimorum interpretum acumen fefellerunt. Noli committere, ut te mora tua aliorum diligentiæ illudere malivolentes credant, dum putant te pro incredibili & inhumana (ut ſic loquar) ingenii tui præſtantia ea re editionem illam premere, ut velut in edita veritatis & ſagacitatis arce poſitus *Deſpicere inde queas alios, paſſimque videre Errare, atque viam palantes quærere veri, Certare ingenio & cunctas contendere vires*, ut emendatiorem & meliorem à ſe Plautum legamus. Noli, inquam, vir præſtantiſſime, committere, ut nequiquam tamdiu in ſpe & exſpectatione fuerimus, ceterique Plautinæ proſapiæ homines propriam divini ingenii tui famam genuino illo admordeant. Conſidera ſis & miſerere noſtrum in Plauto juvando æſtum: qui præter te unum ceteros Æſculapios omnes à ſe ſpernit & ſegregat; niſi quod nunc nuper elegantem ſane jocum ſibi à me redonari non ingratus perpeſſus eſt. Pſeudol. act. 2. ſc. Hi loci. 2. omnes fabricas Pſeudolus Harpaci Gaculæ militari admovet, quî eum argento, quod ille ob mulierem lenoni adferebat, circumducat. Sic vero invicem colloquuntur:

HA. *Tibi ego dem?* PS. *mihi hercle vero, qui res rationesque heri*
Ballionis curo, argentum accepto, expenſo, & cui debet dato.

HA.

HA. *Si quidem hercle etiam ſupremi promtas theſauros Jovis,*
Tibi libellam argenti nunquam credam, dum tu ſtrenuas.
PS. *Res erit ſoluta.* HA. *nunc jam potius ſic ſervavero.*

Verſui penultimo nihil hic faceſſam negotii, ſatis jam ab aliis id factum; in poſtremo tantum laboravi, ut jocum qui latebat in luminis oras proruerem. Tui judicii facio, Scaliger, vere ne correxerim:

PS. *Res erit ſoluta.* HA. *vinciam potius, ſic ſervavero.*

Quanta quidem mea eſt ſapientia nihil dico dici ab ipſo Plauto Plautinum magis potuiſſe, & ſimiles huic jocos adducere, mera mora ſit. Pergo itaque ad alia. Act. 3. ſc. 1. conqueritur ſecum puer lenonius fortunas ſuas, ut cui, quod hero munus die natali mittat, minus nihilo ſit, & niſi mittat, faciendum quod pueri meritorii ſolebant, ut publicæ nimirum libidini palam proſtituatur. Verba ſunt:

Nunc niſi lenoni munus hodie miſero,
Cras mihi potandus fructus eſt fullonius,
Atque edepol ut nunc male eum metuo miſer.

Sed inter ſecundum & ultimum verſus in aliis libris interjectus viſitur, in duobus Joachimi libris mſſ. hac facie: *Eheu quam ille relego etiamnunc ſum parvolus.* In Sambuci editione talis: *Hei hei quam ille hercle ego etiamnunc ſum parvolus.* Non tangerem hic locum hunc minime pudicum, niſi me ſeries fabulæ huc detuliſſet. Legebam: *Eheu quam nullæ rei ego etiamnunc ſum parvolus.* Putabamque τὸ, Eheu, eſſe extra metrum, ut nonnumquam tales particulæ ab actore vel hiſtrione adjectæ leguntur. Nullæ rei eſſe, phraſis ſatis trita & ele-

gans, pro nullius. Utitur eâ Cato 2. Origin. *Qui tantiſper nulla rei ſies, dum nil agas.* quem locum laudat Priſcianus lib. 6. Aliter etiam ſuſpicabar: *Hei quam illa rei ego etiamnunc ſum parvolus*, ut ſe nimis parvum dicat ad accipiendas muliebris patientiæ leges. Illæ pro illi ſimiliter antiquum. Et ſolæ pro ſolius vel ſoli. quod libens hercle Plauto reſtituerem Milit. S. C. Præcepta facito. ubi volgant libri:

Memini malas ut ſint mala, mihi pol è quo ſuperſit.

Verum in utroque manuſcripto Camerarii reperitur: *mihi ſola equo ſuperſit.* unde ego non dubitavi mutatione plane nulla facere: *mihi ſola quo.* ait ſcelus mulieris, non eſſe quod ſervus Palæſtrio vereatur, ne non ſatis ſubdola futura ſit. quippe cui ſoli de malitia, mulieribus ceteroquin propria, ſuperſit. Utitur eo & Terent. Eunuch. act. 5. ſc. 7. *Mihi ſola ridiculo fuit*, & Auſonius de Centone, quem ait eſſe ſolæ memoriæ opus. Plura ſunt apud elegantiſſimum Scipionem Gentilem noſtrum in Parergis, & Giphanium Indice Lucretiano. Nunc cancrum imitabor & receſſim dabo me ad ſcenam hujus fabulæ primam, ut ſi parum ſic litavi, victimas de amicorum gregibus ſuccidaneas adducam. Ibi namque verſu ultimo quando volgatur de lenone ædibus ſuis exeunte:

CA. *Atque ipſe egreditur penitus perjurum caput.*

Rittershuſius meus Juriſconſultus & Philologus haud è multis, adderem tui nominis cumprimis ſtudioſus, niſi neminem non mente permotum ſuâ talem exiſtimarem; is igitur Rittershuſius pro illo *penitus* nihili verbo & cui lumbos defractos velim, conjecit *intus.* quam hominis amiciſſimi & optimè de me cottidie merentis conjecturam ſi tibi pro-

probavero, quod alios morer nihil eſt. Eſt autem hæc ſua Plauto phraſis, qua infinitis in locis utitur. quorum pauca in ſtudioſorum gratiam heic adpingam. Epidico act. 3. ſc. 2. verſ. 44. *Abs te ſum egreſſus intus.* Et act. 3. ſc. ult. verſ. 41. *Quin tu fidicinam produci intus jubes.* Ciſtell. act. 3. ſc. 1. *Ut aliquis intus prodeat.* Perſa act. 2. ſc. 4. *Quem convenire maximè cupiebam, egreditur intus.* Sic recte ibi Gulielmius pro *foras* reſtituit & numeris ita volentibus & duobus manuſcriptis Joachimicis. Nonnunquam *intus foras* conjungebant. Caſina act. 1. ſc. 6. *Eccum exit foras Chalinus intus cum ſitella & ſortibus.* Et Amphitr. act. 2. ſc. 2. *Tu Theſſala intus pateram proferto foras.* Atque hæc de *intus* in meorum Germanorum uſum, qui rarò tales libros attingunt, ſtatim in principio libri repræſentare volui. Ceterum, in verſu illo nihil muto, niſi quod malim cum altero manuſcripto Camerariano: *perjurî caput*, quomodo & Rudente act. 4. ſc. 4. verſ. 55. loquitur: *Ut tute es, ita omnes cenſes eſſe? perjurii caput.*

EPISTULA II.

Illuſtriſſimo Principi D. Auguſto, Duci Brunſwicenſi & Lunæburgenſi, &c.

MAgna tua eſſe debet, Auguſte Princeps, atque adeo pervolgatâ famâ major cum in politiores illas literas, tum earum ſtudioſos propenſio: quæ hoc quoque majorem admirationem & prædicationem meretur, quo rarius in ordine illo illuſtriſſimo reperiri ſolet. Ego profectò etſi me meaque ſtudia quàm maximis & optimis probari volo, tamen non tam mihi meiſque libris gaudeo quos à te legi diligenter & cu-

pide expeti intellego, quam patriæ noſtræ principem eo ingenio natum gratulor. O te felicem, juvenum illuſtriſſime, qui hac etiam ætate, quod multos multorum Principum conſiliatores fugit, videre potuiſti! ad divinam nimirum Legum ſcientiam conſequendam longe alia, quam volgo ſolent, via graſſandum eſſe. non illam ex putidis & fœdis gloſſographicorum interpretum lacunis petere, ſed ex penitiſſimis Philoſophiæ & Philologiæ fontibus haurire oportere. quare non linguarum ſolum variarum, Latinæ præſertim omnium maxime dignæ & neceſſariæ, exactam peritiam impenſo ſtudio adfectas, ſed Politicos etiam Ariſtotelis commentarios diligentiſſimis tibi manibus verſandos ac tantum non ad verba ediſcendos exiſtimas. Atque ad eam rem (unde meritiſſimo tuo illud in te dici queat, quod de Aſcanio Æneæ divinus Maro cecinit,

Ante annos animumque gerens curamque virilem)

non domeſtica inſtitutione viri clariſſimi & prudentiſſimi Theodori à Senden contentus, variorum hominum, qui aliquod in literis nomen obtinent, conſilia ſtudiis tuis ordinandis ultro erogitare conſueviſti. Me quoque etiam, quem aliorum amicorum forſan meorum commendatione & tacita animi adfectione deceptus aliquid ſupra volgum videre cenſes, nunc nuper ad editionem promiſſorum à me librorum, Symmachi maxime, impellere, & ſi quid quod in rem tuam eſſe poſſet, inter libros meos continerem, id ut ad vos porro remitterem ſollicitare nihil dubitaſti. Ego vero, Princeps Illuſtriſſime, non ſolum, quæ tum ad vos miſi & adhibito in conſilium clariſſimo Juriſconſulto Cunrado Rittershuſio amico meo perſcribſi, bene ſtudiis tuis & proinde patriæ noſtræ commodare velim: ſed & ſi quid à me gravius proficiſci umquam poterit,

rit, operam meam libentiſſimo animo meritoque Celſit. Tuæ votam dedicatamque volo. De Symmacho autem, cujus editionem tantopere urges, nihil etiam certi habeo polliceri, nam quia inaudivi, illum qui olim ejus editionem adornavit, eum nunc propediem denuo editurum, quaſi novo opere mihi nunciato, tantiſper mihi operiendum exiſtimavi, dum præclarum illud opus, ipſo jam decennio uſque expolitum, in publico appareat: & videbo omnes ne correctiones meas ex Veriſimilium libris, ut ad me nunciatum eſt, ſublectas pro ſuis venditaturus ſit. Si qui tamen te caſus interea ad illius lectionem perduxerit, hæc te præmonendum putavi. Libro primo epiſt. 26. impreſſum & in Giphanii manuſcripto codice ſcriptum viſitur: *Ibi me & parentem & amicum, & ſi quid utroque charius eſt, chariorem fuiſſe ſenſiſti.* Sed longe verior meo animo lectio eſt, quam ex Fuldani & Bertiniani cœnobii membranis reſtituo: *Ibi me tibi & parente & amico & ſi q. u. c. eſt, c. f. ſenſi.* Epiſtula 41. fere cum Agorio expoſtulat Symmachus, quod dum ſe otio dederit & Campaniæ deliciis perfruatur, nullas interibi literas ad amicos miſſiculare ſoleat. Inter cetera hæc ſunt: *Sed dum tibi leges ſcribis, & urbanarum rerum feſſus, ingentem animum ſolitudine domas, amicitiarum munia nullus exſequeris.* Si me roget quiſpiam, quas heic leges Symmachus ab Agorio ſcribi dicat, equidem ignorare me fatebor. Sententia autem hujus loci his vel ſimilibus verbis explicari forſan queat: Non te quidem illecebroſis Bajarum deliciis nequiorem vel otioſum factum exiſtimo (nam ſi bene te novi, ſemper aliquid agis, & otium illud ſtudiis liberalibus conteris) ſed tamen illud doleo quod hoc modo impediris, quo minus munia amicitiarum ſive officium ſcribendarum ad amicos epiſtularum exſequaris. *Nullus* enim in Comicorum

morem pro *non* dixit, ut in meis illis ad vos miſſis Obſervationibus videre potuiſti. Ne igitur diutius animi pendeas, narro tibi, adoleſcens illuſtriſſime, ſic potius cum Fuldano codice uno omnium antiquiſſimo ſcribi oportere: *Sed dum tibi legis, tibi ſcribis*, &c. Elegantiora hæc & magis ad querelam amici exprimendam. q. d. quid illa nobis adferunt commodi, quod te vel legendis alienis, vel propriis ſcribendis libris fatigas & nos interim literarum tuarum diutius exortes eſſe pateris? Sed levior forſan hæc emendatio videbitur, præut nunc aliam inſuper adpingam. Epiſtul. 44. ejuſdem libri: *Queri me opinaris quod nihil ſcribas: & refellere mendacium paras, quia te aliquid ſcribſiſſe meminiſti. ego verò minimum animi angerer, ſi taceres. Precor, quid hoc eſt, quod mihi & patri unas atque eas opidò breves literas detuliſti?* Sic adhuc editum fuit, non reclamantibus Giphanianis & Bertinianis membranis, ſed emendo ex Fuldan. mſſ. *Præut hoc eſt quod*, &c. deleta interrogationis nota. *Præut*, comparandi particula. Doleo quidem quod taces: ſed hoc nihil eſt, præut doleo quod mihi & patri unas tantum ſcribſiſti. Plautus Menæch. *folia nunc cadunt, Præut ſi triduum hoc hic erimus, tum arbores in te cadent.* Plura eaque lectu digniſſima apud Stewechium de particulis. Tu Princeps Illuſtriſſime valebis & feliciter ceteris Germaniæ noſtræ Principibus in literis earumque cultoribus complectendis, ut cœpiſti, porro quoque ex te ſpecimen dare perges.

EPISTULA III.

CUNRADO RITTERSHUSIO SUO JURISC.

NOn quò multiplicia tua officia verbis compenſari poſſe putem, cum ſæpe alias, tum loco hoc alieno, & ſolis emendationibus auctorum à me deſtinato, quantum tibi debeam, Rittershuſi clariſſime, commemorare ſoleo. Quin potius, cum aliquid ex Plauto proponere adgredior, ſimul mirificum in te mei juvandi & ad ſumma provehendi ſtudium ob oculos animumque mihi frequenter obverſatur. atque haud ſcio an non aſtu quodam & conſulto conſilio Plautum tuum cum duobus antiquiſſimis Camerarii ſummi amici tui codicibus à te collatum mecum communicaveris. Sic enim te cogitare potuiſſe cogito: fore, ut quotienscumque Plautum, auctorem mihi jucundiſſimum, adſpiciam, totiens tui & officiorum in me tuorum non poſſim non in mentem revocari. neque ſane, ut meum ſenſum candidè exponam, hæc tua te ſpes fefellit: quamvis enim aliis innumeris beneficiis devinctum me tibi attines, ut quem & olim, cum hîc agerem, & nunc etiam reducem privatis tuis lectionibus in Juris civilis & linguæ Græcæ penetralia inducere ſategiſti & ſatagis, hoſpitio & convictu tuo artiſſimaque familiaritate dignatus es, in cujus uſum etiam eruditionis variæ notis inſignes libros tuos, Epiſtolicas nimirum ad Auſonium exercitationes, & Prodromum in novam Symmachi editionem à typographo repetiiſti, cui denique omnem fere bibliothecam tuam utendam in Muſeum ſuum dediſti: hîc tamen peculiari & artiſſimo quodam nexu obſtrictum me tibi video: ſiquidem remiſſis

& conceſſis Plautinis illis lectionibus, vitam mihi à te, ſi non perpetuam, longinquam certe conceſſam exiſtimo. Mihi enim decretum eſt, dum literæ & artes bonæ florebunt, floridam ſemper eorum famam futuram, qui in Plautinis fabulis, Muſarum, ut veteres & minime ſuſpecti judices volebant, eloquio comparandis, ſtudium & induſtriam ſuam poſuerunt. Major fuit altera alterius ea in re felicitas. plerique tamen, etſi nonnumquam perquam exigua & pæne reticenda ac muſſitanda proponerent, magnam à viris doctis gratiam iniverunt. quorum ego exemplum, neſcio quam feliciter, ſequi ſtudeo: niſi quod video & præfiſcini aliis eruditis mihi adſentientibus gloriari audeo, pro re nata graviora ſæpe, ſæpius forte leviora, quam in aliorum libris, à me proponi: & facturum me, ut & olim mihi nonnihil Plautus debeat, *ſperat quidem animus, quo eveniat dIs in manu eſt.* Ceterum de omnibus virorum eruditorum, & in iis tuum quoque judicium libenter feram. Incidebam hodie forte fortuna in Moſtellariam: cujus fabulæ ſcena extrema hæc notabam. Verſus quartus ſic editur:

Ait ſeſe metuere in conſpectum illius procedere.

Si aliorum exemplo, quod ego tecum pariter abhorreo, gloriari vellem, de hujus loci correctione nonnihil fortaſſe poſſem. ſed neque id meum eſt, neque hoc qui faciunt mihi placent, plane loquor. quare tantum monitum lectorem velim, ut jubente altero libro Camerariano ſcribat, *occedere.* rudiorum quoque gratia hæc ex Feſto addo: *Occedamus Plautus poſuit pro contra cedamus*, &c. Vellem dixiſſet Pompeius, occedere eſſe obviam ire vel cedere. Pluribus Plauti locis hoc verbi reſtituit ὁ μακαρίτης Gulielmius: apud quem qui volet plura hujus exempla videre poterit. Similiter ſupra Aſinar.

act. 3.

act.3.ſc.3. ex veteribus Langii & Camerarii libris lego: *ſalvere me jubes, quoi tu abiens offers morbum.* Sic Milit. ſcil. Niſi hercle. in duobus illis codicibus ſcriptum fuit: *Cui bini cuſtodes ſemper totis horis occubant*, pro eo quod impreſſi libri habent, *accubant.* Et hoc eſt; adeo à Feſto inculcatum *Ob* pro *Ad* poni. ut in obitu pro aditu, obmovere pro admovere. qui etiam laudat verſum Ennii:

Ob Romam noctu legiones ducere cœpit.

Lucill. lib. XXIX. *Ut nunc hac re mihi opem atque auxilium offeras.* Videndus Giphanii index Lucretianus. Sed ad Plautum noſtrum revertamur. Eadem ſcena ſequitur: *Jubeo te ſalvere, & ſalvos cum advenis, Theuropides, Peregre, gaudeo, hic apud nos hodie cenes te rogo.* Non temerarium & ſic de nihilo eſt, quod in utroque Joachimi codice ſcriptum fuit diſertim: *hic apud nos hodie cenes ſic tale.* fuitque cum inde fingerem: *cenaſſis face.* Dixi nuper in Veriſimilibus & dico etiam in de Ratione emendandi ex ingenio, t, & f, ſæpe ſibi ceſſiſſe invicem. tum vero puto l, pro t, ut ſæpe, ita & hic ſcriptum fuiſſe. t autem & c in manuſcriptis libris valde ſimilia ſunt. Sic & Pœnulo act.5. ſc.2. verſ.75. tace pro face ſcriptum fuerat: ubi volgo: *Maledicta hinc aufer, linguam compeſcas, tace*, legendum adſero cum libris Camerarii: *compeſcas face.* & facile mihi de eo viri docti adſentientur. Fuit etiam cum mallem: *cena ſiſtas te*, vel, *ſiſte te.* nec amici non probabant. Sed nimirum veriſſima corrigendi ratio eſt, ut te Ritterſhuſi ſæpius mihi inculcare memini, cum unumquemque auctorum ex ſe ipſo corrigimus. quare aliis Plauti locis cum hoc ipſo collatis & ductu literarum in lectione ſcripta curioſe obſervato tam non dubito de lectione mea, ut Apollinem

nihil

nihil umquam verius è tripode profatum credam. Lego autem: *hic apud nos hodie eenes, ſic face.* Jam quæſo hæc Plauti loca mecum conſidera. Sticho act. 1. ſc. 3. *Oratio una interiit hominum peſſume, Atque optima hercle meo animo & ſcitiſſima, Qua ante utebantur:* VENI ILLÒ AD CENAM, SIC FACE; *Promitte verò, ne gravare, eſt commodum. Volo inquam fieri, non amittam quin eas.* Et eadem fabula act. 3. ſc. 2. *Cenabis apud me quoniam ſalvus advenis.* EP. *Vocata eſt opera.* GE. *num quidem tam grave eſt? Promitte.* EP. *certum eſt.* GE. *ſic fac inquam.* EP. *certa res 'ſt.* Hanc itaque lectionem jam conſtitui. Sequitur in noſtra ſcena: *Hercle mihi tecum cavendum eſt, nimis quam es orator catus.* Proletaria nimis eſt ratio, volgatam ſcripturam, ſi ſatis commodam ex ſe pariat ſententiam, propterea ut veram arripere. major apud me, credo & quemvis paullo humaniorem, ſpectatorum librorum ſcriptorum fides & auctoritas. cum itaque in utroque Camerariano ms. ſit: *nimis quis oratus catus.* amplius quærendum mihi exiſtimavi. quin autem *oratus* pro orator perperam ſcriptum fuerit, nihil dubito, & ſimilia exempla in Veriſimilibus attuli, ubi etiam apud Symmachum pro Adventus conabar reſtituere Adventor. Pro illo autem *quis* conjeci ſtatim, legendum *cluis.* quod Giphanio quoque jam olim probavi, qui de hoc & ſuperiori loco hæc ad me remiſit:

Salve amantiſſime D. Schoppi.

In Moſtellaria nimis quis orator. vel ut tu ingenioſè cluis (facile enim ex cl contrahitur d, quod eſt pronumq) vel qui's, id eſt, qui es, ut ego aliquando conjeci, legendum videtur. Illud ſic tale exſculpere non poſſum. latet aliquid.

Tuus totus *Hubertus Giphanius.*

Ali-

Aliquanto autem poſt, quam hæc ſcribſiſſem, à Pflugio noſtro admonitus comperi Lambinum quoque, cujus ego commentaria diu non videram, jam olim indicaſſe in libris quibusdam veteribus legi: *nimis clues orator catus*, quæ meam lectionem magis ſtabiliunt, niſi ipſius Pflugii ſuſpicio verior: *nimis tu es.* cl pro d poſitum & d pro t, ut ſæpe, exiſtimantis. Poteram ut ego exiſtimo honeſtè caput hoc concludere pictâ coronide: verumtamen quia una etiam in poſtrema hac ſcena varia ſcriptura in meo libro adnotata ſuperat, mantiſſæ loco eam adpingere lubitum eſt: ubi nimirum in impreſſis exſtat: *Fœnus, ſortem, ſumtumque omnem, quanti amica eſt, omnia nos dabimus, nos conferemus, noſtro ſumtu, non tuo.* dubitari poſſe, potiusne ſit ut cum duobus manuſcriptis legatur: *quî amica eſt*, ſicut & alibi *Quid* pro quantum aut quam multum uſurpavit Epid. act. 1. ſc. 3. *Tum captivorum quid ducunt ſecum? pueros, virgines, Binos, ternos, alius quinque.* Et Ciſtellar. act. 2. ſc. 2. *Quot illi blanditias, quid illi promiſi boni?* Sic Mercatore act. 2. ſc. 1. cum Camerariano ms. legendum puto: *Vosmet videte ceterùm qui ſiem. Qui*, iſtic diſyllabum falſos habuit correctores, ut iſtic, *Quanti*, &c. ponerent, quod poſtea in omnes libros inſedit. Sic Perſa act. 4. ſc. 4. legendum puto: *Tum tu pauca in verba confer, quî datur, tanti indica.* Sed iſtic editur: *quid datur.* quod mihi de mendo ſuſpectum eſt. Laudat quoque Feſtus verſum Plauti ex Hortulo: *Præco ibi adſit cum corona; quîque liceat, veneat*, id eſt, quanti liceat. Sic Menæch. act. 3. ſc. 3. *hæc me curaturum dicito, ut quantum poſſint, quamque liceat veneant.* In 2. mſs. *quique liceat.* Fortaſſe; *Ut quantum poſſit, quique liceat veneant*, id eſt, ut quamprimum & quanti licet vendantur. Sicut, *Quantum poteſt* uſitatiſſimum Plauto pro, ſtatim, quamprimum.

mum. De loco tamen Moſtellariæ nihil certi ſcio, niſi neſcio. Tu Rittershuſi pro judicio & ſagacitate tua, cujus plurima præclara ſpectamina publice appaterent, abſque typographorum vel lucrionum verius cunctationibus fuiſſet, & hunc quoque locum examinabis, & me porro etiam juvare non pigrabis. Bene vale, *ô & præſidium & dulce caput meum.*

EPISTOLA IV.

JUSTO LIPSIO V. CL.

ET quis non rideat, immo ringatur verius, ſuper ſtolidiſſimo illo volgi de Apuleio judicio? Ajunt eum rudere, quam loqui, maluiſſe. Di deæque, & quo non evadet denique projectiſſima illa hominum audacia? Tot jam, & ſæpe unicis doctiſſimorum virorum, adde, ſi ita vis, Ciceronianorum, elogiis condecoratum facetum illum Mileſiarum ſcriptorem etiamnum rudere? Sed quoniam nequiquam inveteratum & jam olim radices agentem errorem hunc ex animis volgi expectoratum imus, feramus ſane, quæ mutare nefas: illud interim profeſſi, malle nos illum rudentem ſæpe, quam hos loquentes ſive latrantes audire. non indelectabitur lectione ejus, niſi cui anima pro ſale. In eo, quæ hodie pauca notabam, ad te, Lipſi, flos ævi noſtri, arbitranda mitto, ut vel errantem corrigas, vel vere ariolantem confirmes. Non longe à principio lib. I. Metamorph. de equo ſuo: *Ac dum is jentaculum ambulatorium prataque præterit, ore in latus detorto pronus allectat, duobus comitibus, qui forte paullulum proceſſerant, tertium me facio.* Æſtuavit, ut apparet, in hoc loco recte conſtituendo Colvius tuus, fateturque cum pro *allectat*

ctat in libro tuo reperiſſet *adjecto*, nihil ſe indidem extricari potuiſſe, atque adeo locum deſperatum relinquit. Et eſt ſane talis, in quo magna ingenia merito deſudent. Nam mihi ſtatim in principio jentaculum illud equi ambulatorium minime placet, nec quid illo *allectat* fieri poſſit ſatis teneo. Manuſcriptus Bertinianus non valde variat, legitque: *Ac d. is j. a. p. p. oreque in l. d. p. adjectat, d. comitum, q. f. paullulum praceſſerant, t. m. f.* Ex quibus ut hoc *praceſſerant* impendio probo, ita de prioribus ſuſpicari, immo nugari mihi collubitum, legenda: *Ac dum ſitiens aculam ambulat, ac jam prata quæ præteriit ore in latus detorto pronus adfectat, duobus comitum qui forte praceſſerant tertium me facio.* pro *is jentaculum* feci, ut vides, *ſitiens aculam* vel aquulam, ſicut & apud Plautum ſcriptum fuerat. *Adfectat*, malui: ſcimus enim, ut ſoleant equi inter eundum gramen retro mordicus appetere & adfectare. Sed hanc conjecturam calidam nimis & ſub manu quaſi natam ulli me doctorum probaturum neutiquam ſperare debeo. & mihi tamen, idem quod ceteris, licere puto, nec eſt quod meas nugas quiſquam mihi vitio vortat. Et vero comperi poſtea Becichemum ante annos centum *adfectat* legendum ſimiliter conjeciſſe, cujus tamen cetera emendatio mihi placere nequit, quamvis eam probet amiciſſimus mihi Janus Gruterus Suſpicionum ſuarum lib. 3. cap. 12. Cogitavi etiam alia, ſed unum potiſſimum heic adpingam: *Ac dum is lente ac viam ambulatoriam prataque præterit, oreque in latus detorto pronus adſectat*, &c. Minima certe licentia, i, pro l, & contra. ait equum ſuum modo lente & veluti viam ambulatoriam iviſſe, modo pronum ſive celerem ſecutum eſſe. Sed jam nugarum tamdem & me pœnitet. quare ad alia pergo. Sequitur ſtatim:

tim: *Parce, inquit, in verba iſta hæc tam abſurda, tamque immania mentiendo.* non diſplicet quod in v. l. inveni: *inania.* Sic principio ferè Apolog.2. *Quæ omnia tam falſa, tam nihili, tam inania oſtendam, adeoque facilè & ſine ulla controverſia refutabo*, Nec multo poſt: *Ego denique veſperna, dum polentæ caſeatæ offulam grandiorem in convivas æmulos contruncare geſtio, mollitie cibi glutinoſi faucibus inhærentis & ima gula ſpiritus detinentis minimo minus interii.* ex v. c. reſcribo: *Ego denique veſpera dum polentæ caſeatæ mordicibus ſecurus offulam*, &c. Veſpera, bene dicitur, ſicut mane, luce. Veſperna pro veſpernæ tempore, ut putat Colvius, mihi ſuſpectum eſt. *Mordicibus*, quo & Plautus, & hic noſter ſæpius utitur, eſt adverbium vetus pro mordicus. Infra lib.3. *Feminam illam ſpiſſis calcibus feriens & mordicibus adpetens necare deberem.* quamvis ibi in v. l. ſit *mordicitus*; atque ita haud ſcio an ita & apud hunc & apud Plautum ſemper reponendum ſit, qua forma publicitus, humanitus, ferocitus, ſolemnitus, alia que veteres efferebant. Porro in convivas æmulos dixit Lucius noſter, pro in morem convivarum avide vorantium & de voracitate quaſi certantium. Cujus phraſios exempla alibi in his libris propoſuimus.

EPISTULA V.

Ampliſſimo & Nobiliſſimo Viro

MARCO VELSERO

Conſuli reipub. Auguſtanæ.

QUantum tibi debeam, Velſere Nobiliſſime, cum quod me hominem adoleſcentem, & literarum cupidum magis, quam peritum, tam

tam prolixâ humanitate in amicitiam tuam admittere, & tantum non pertrahere voluiſti, tum optumis quibuſque libris ex bibliothecâ tuâ in commune bonum, quod meâ curâ nonnihil adjuvari poſſe exiſtimas, communicaſti: nec ego (quæ mea eſt infantia) ſatis pro dignitate commemorare poſſum, nec alii fortaſſe mihi de tam inauditâ hominibus noſtris humanitate & comitate tuâ prædicanti credere audebunt. Nam quotusquiſque eorum, qui libros manu exaratos continent, & quæſtum quaſi carcerarium facere inſtituunt, operam ſibi dandam exiſtimat, ut ne quid ſæculis profuturum diutius deliteſcat. Atque adeò non ipſi ſolum, quos quo jure quaque injuriâ repererunt libros, perpetuis tenebris damnare, nihilque indidem cum aliis communicare ſolent, ſed, quod minimè ferendum eſt, alios inſuper boni publici, quam ipſi ſint, cupidiores & fortè quid ex eorum libris (quorum copiam prius non ſine ſumtu ſibi comparare debuerunt) in publicum proponentes, *fures*, *ingratos*, *plagiarios*, & quo non denique graviſſimorum ſcelerum & flagitiorum nomine differunt paſſim & traducunt? Sed dis Gratia, quod iidem illi qui credat ipſis habent omninò neminem, & hoc unum etiam ex ingenio malo malum inveniunt ſuo (pergam enim uti optimi Comicorum verbis). Nulli amici ſunt, inimicos ipſi in ſeſe omnes habent, atque ii ſe cum fruſtrantur, fruſtrari alios ſtolidi exiſtimant. Et illud me beat ſaltim, quod omnes qui me familiariter utuntur, eas cotidie apud me conjecturas & emendationes naſci ſciunt, ut cur earum mihi pœnitendum & aliena expetenda ſint, ignorem. Ceterùm non ego heic vel Apologeticum inſtituere, vel laudum tuarum Panegyricum adornare conſtitui. non potui tamen temperare, quin & heic maximorum tuorum in me beneficiorum in

mentem revocatus, quàm ea mihi cara & grata acciderint, commemorarem, pleniorem autem gratiarum actionem in aliud tempus locumque commodiorem reſervarem. Interim te, Vir Ampliſſime, maximo opere rogo, ut pro tuo in me amore tantillum tibi à reipub. curâ ſpatii impetres, quod ad examinandas paucas aliquas in Plauto caſtigationes ſufficiat. Ciſtellar. act. 4. ſc. 2. cum ancilla ſpectatores de amiſſa ciſtella ſua conſuluiſſet, ſe ipſa tamdem corrigit, quod viros quibus mulierum adverſa pro cibo ſint, conſultare auſa fuerit. Verba ſunt: *Sed nonne ecaſtor ego ſum mulo inſcitior, qua hos rogem, aut qua fatigem, Qui ſemper malo muliebri ſunt lubentes?* Verſu tamen ſecundo jam diu eſt cum legendum ſuſpicor. *Qui ſuper malo &c.* Videndus feſtus in ſupereſcit, ubi docet præpoſitionem *Super* pro *De* poni, quod & Servius confirmat ad illum 1. Æneid. verſ.

Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.

Et Aulular. *Dixi tibi mater, juxta rem mecum tenes, Super Euclionis filia.* Et hac ipſa Ciſtellar. ſc. præcedente: *quid nuncias ſuper anu.* Utitur quoque Cicero ſæpius. Ut: *Hac ſuper re ad te ſcribam.* Ita in XII. tabb. Paterfamilias uti ſuper familia pecuniáve ſua legaverit, ita jus eſto. Sic apud Apulejum lib. 3. de Aſino legendum putabam: *At ille non contentus, quod mihi nec adſiſtendi ſolatium perhibuit, inſuper exitio meo cachinnat.* ubi editum: *inſuper exitium meum.* Sed ibi niſi de ſuſpicione nihil dico. Quod ſi fortè in Plauti lectionem incides ſcenâ, quæ hanc anteceſſit, extremâ, recte à me legi & diſtingui certò putabis: Lam. *Spes mihi ſancta ſubveni.* Truculent. act. 2. ſc. penult. educit Geta conſervos ſuos herilia munera ad meretricem degerentes. quos ille ſic appellat:

Ite

Ite ite hac ſimul mulieri, damnigeruli, foras gerones. Magnus ille Scaliger divinavit: *Ite ite hac ſimul muli æris.* Sed ſi mihi hac ætate à tanto viro diſſentire liceat, putem Mulum alicujus rei, pro gerulo à Latinæ linguæ ratione nimiumquantum abhorrere. Verius autem exiſtimavi vitioſæ ſcripturæ fontem exſtitiſſe ſyllabæ repetitionem, ut ſæpe factum, legendumque potius: *Ite ite hac ſimul heri damnigeruli, foras gerones.* Et ſic in verſum melius conſuli arbitratus ſum. Heri damnigerulos vocari, qui damna, hoc eſt, ſumptus & impenſas heri ad meretricem deportarent. *Damnum* pro jactura, ſumtu, impenſis dici novum non eſt. nec eo umquam ferè aliter Horatius utitur. Sic damnoſus, qui multum ſumtus aliqua in re facit. Sueton. Nerone cap. 31. *Non in alia re damnoſior quàm in ædificando.* Ibidem act. 3. ſc. 2. conjecturâ ductus lego: *Dicax ſum factus jam ſum Villator probus.* AS. *Quid id eſt amabo? iſtacce ridicularia, Cavillatores vis fortaſſe dicere.* Verſu primo *Villator* malui pro volgato cavillator, poſcente id metro & ſententia, primam enim ſyllabam compendifacere voluit, ut infra dicit *Rabonem* pro arrabonem, & *ar* ſe lucrifacere. Poſtea legebam: *Cavillatores*, ubi volgo, *cavillationes.* Vere ne tua erit exiſtimatio, certè priorem conjecturam & Mureto olim in mentem fuiſſe comperio.

EPISTULA VI.

V. CL. JOACHIMO CAMERARIO I. F.

VIde amabo te, Camerari clariſſime, durum tibi hunc Criticum. Vix jam à te diſceſſi, inſubidis nugis meis, apud Rittershuſium noſtrum ſatis malè miſereque habito, & epiſtulam etiam ad te, priusquam domuitionem capeſſeres, mittere volui. Sed hoc nimirum facilitatem tuam ſuaſiſſe judicabis. Verè ſanè; ſimul enim ſemel me complexus es, & nihil planè merentem tale vel exſpectantem, amicum tuum eſſe voluiſti, numquam conceſſaviſti omnia mei juvandi facere, omnem bibliothecam tuam mihi obtuliſti, heri quoque ad nos proviſens, Quinctilianum tuum manuſcriptum notæ, ut ais, optimæ in meum uſum pariter obtuliſti. Et vide quæſo, quas tibi homo gratiſſimus grates reponam. Emendatiunculæ illæ ſunt in Apulejum paucæ, nec ſatis percoctæ tamen, ſed in quibus mihi placebo, ſi tibi non diſplicuiſſe intellexero. Nullum apud priſcos illos ſine fetialibus bellum indici ſolitum ex hiſtoricis didici. At Apulejus ſatis nequiter & minùs ſeverè bellum ſibi à Fotide puellâ non per feciales indictum queritur, ſi quod ſemel imbibi, verum eſt, verba nimirum hæc 2. metamorph. ita legenda: *Nam, ut vides, prælio, quod nobis ſine feciali officio indixeras, jam proximante vehementer intentus &c.* Sicut jus feciale apud Ciceronem. Colvius mavolt: *feriali officio*: cui pluribus repugnare nolim, niſi quod & mea lectio ferri quoque poſſe videtur. Sequenti pagina vide mihi quæſo hæc: *Sed heus tu, inquit, cave cena regrediare maturius.* Ex ſequentibus apparet Fotidem

dem petere, ut Apulejus maturè domum recipere velit. At hæc verba contrarium videntur velle. quare doctiſſ. Stevechius ex mente Fotidis maluit: *immaturiùs*. Ego olim quidem mentis deſipiens repetita ex priori dictione poſtremâ literulâ ſuſpicabar, *ematuriùs*, quia præpoſitio è, hanc nonnunquam vim habeat. Magis etiam ſuperſtitioſus volebam pro *cave*, *face* reponere. Sed profectò, ita eſt, nimium nonnunquam ſapimus; & ubi minimè opus erat. Quid enim? quam certum eſt meridie liquere, tam vera eſt recepta illa lectio. Cave regrediare, id eſt, da operam ut redeas. Et eodem libro 2. itidem loquitur: *Cave diligenter, ut primatis civitatis hujus filii cadaver à malis Harpyiis probè cuſtodias*. Quare, quod & Grutero ante me in mentem fuiſſe poſtquam hoc ita ſcripſeram, vidi, ibi quidem nihil muto; ſecus in his quæ pauciſſimis interjectis ſequuntur: *Tibi verò fortuna ſplendor, inſidias contemptus etiam peregrinationis poterit afferre*. Rationes hæ ſunt Ancillæ, quibus illa Apulejum ad maturandam de nocte domuitionem impellere conatur. Quia nimirum ipſi, ut homini nobili ac ſplendido facilè inſidiæ ſtrui, & peregrino injuria & contemptus aliquis fieri poſſit. quare malim ſanè: *Tibi verò fortuna ſplendor inſidias, contemptus etiam peregrinato vis poterit adferre*. Si tibi ut peregrino vis aliqua à graſſatoribus nocturnis inferretur, verendum ut aliquis inde tuæ perſonæ contemptus naſceretur. Godeſcalcus *peregrinatio*: Colvius diſpeſſis vocibus; *peregri natio* reſcribendum exiſtimavit: quæ tamen à veſtigiis illorum verborum abſunt longiuſculè. Et ſtatim de apparatu & cenæ magnificentiâ in Byrrhenæ ædibus: *Fercula copioſa: puellæ ſcitulè miniſtrantes, pueri calamiſtrati, gemmas formatas &c.* Non neſcio quæ heic Colvius conlegerit: ſed veriorem tamen puto ſcripti libri lectionem:

nem: *Fercula copioſa ſcitulè ſubminiſtrata, pueri calamiſtrati, gemmas formatas &c.* Eadem ipſa pagina rectè legi volgò exiſtimo: *Omniumque ora & obtutus in unum quempiam angulo ſecubantem conferuntur. Qui cunctorum obſtinatione confuſus, indigna murmurabundus &c.* Eruditiſſimus Stevechius & nunquam niſi cum honoris præfatione nominandus corrigebat: *Obtuitione conf.* malè profectò. Obſtinationem dicit, quia omnes illum obſtinatè contuebantur, obtutuque herebant defixi in uno, ita ut obſtinatio conſpectûs ſit, velut obſtinatio ſententiæ apud Tullium, id eſt, perſeverantia. Sed quod pænè oblitus fueram, ſupra lib. 1. cum editur: *Grabatulus alioqui breviculus & uno pede mutilus ac putris, impetus tanti violentiâ proſternitur: me quoque evolutum & excuſſum humi recidens in inverſum cooperit ac tegit.* Reperi hodie in Rittershuſii noſtri Apulejo (ſcis autem me omnes ejus libros hujus notæ in meam bibliothecam tranſtuliſſe) ipſius manu correctum: *recidens univerſum coöperit.* Quod ideo, Camerari clariſſime, adpingere heic volui, ut mea epiſtula, ſi ab ſe placebit minùs, præclarâ hac hominis utrique noſtrum amiciſſimi emendatione nonnihil commendetur. Quod ſupereſt, DEO te tuamque familiam totam commendo: cujus ocellus ille Joachimus Camerarius Magnus, pater tuus, primus patriam meam nominis ſui clarore colluſtravit: cujuſque adeò veſtigia (ſi vitio carere hæc mea ambitio poteſt) calcare velle profiteor.

EPI-

EPISTULA VII.

Nobiliſſ. viro

JACOBO BONGARSIO,

Chriſtianiſſ. Francorum Regis per Germaniam Legato.

NOn ego nunc, Bongarſi clariſſime, mediocriter iraſcor Scipioni Gentili noſtro,cujus operâ factum, quo minus te nuper Noribergæ compellarem & tanto viro, atque ipſus es, primùm me inſinuarem. Spem enim mihi de veſtra ad nos profectione V. Cl. Joach. Camerarius fecerat, ut ita te ſatis jam occupatum Noribergæ occupare magis minimè vellem. Sed quid fit? interea dum ego anxius præſentiam veſtram expecto, eruditiſſ. Gentilis noſter Noribergam excurrit, nec multò tamen poſt revortitur. quæro ex ipſo: etquando nobis tamdem adfuturus Bongarſius? At ille, Ne tu, inquit, ſi ejus tibi adventum polliceris, fruſtra es. Venturus omninò fuerat, niſi eum ipſe ego, cujus ſalutandi gratia adfuturus erat, Noribergæ antevertiſſem. Abeo ergo triſtis nec ſemel horæ, quâ primùm portâ pedem extulerat Gentilis, malam fortunam imprecor. Quia verò ſpes illa tota decollavit, colloquium noſtrum per literas auſpicari volui. Rogo itaque te, Bongarſi eruditiſſime, per Genium Trogi tui, cujus multò elegantiſſimam editionem tuo munere legimus, ut me juves in pauculorum Plautinorum locorum emendationibus, dubitantem erigas, corrigas errantem. Milite Sc. ult. *Quin jam dudum geſtio mœcho hoc abdomen adimere.* Admonitus à duobus Camerarii noſtri codicibus & vetuſtè cuſis lego: *geſtit.* cultrum autem, quem

 manu

manu tenet, innuit & de quo dixerat modò ſenex: *Vide ut iſtic tibi ſit acutus, Cario, culter probè.* Statim ſequitur: *Cur es auſus ſubigitare alienam uxorem impudens?* Py. *Ita me dii ament; ultrò ventum eſt ad me.* Per. *mentitur.* Py. *perii Mane dum narro.* Corrigo & diſtinguo ex membranis: Per. *mentitur; feri.* Py. *Mane &c.* Et paullo poſt: *Obſecro hercle te ut mea verba audias priuſquam ſecer.* Per. *Loquere, nondum nihilifactus.* in ſcriptis codicibus eſt: *ſecat.* Et placet ut Carionem cultrum manu attinentem intellegat. dixerat autem Cario, *quam mox ſeco?* Amplius ex conjectura lego: Per. *Loquere? nondum nihili factus?* Ut increpet tarditatem ſervorum in occidendo, immò evirando & deteſtando milite, quem jam diu inteſtabilem factum oportuit. Scena quæ hanc antecedit cum altero Camerari codice lego: *eum odere qua viri qua mulieres.* Cum vulgatum ſit, tam viri quam mulieres. Similiter autem ſupra dixerat act. 4. ſc. 3. *Ad equas fuiſti ſcitus admiſſarius, Qui conſectare qua mares qua feminas.* Sic ibi rectiſſimè ex Vatican. cod. reſtituit doctiſſ. Lipſius, adſentientibus etiam manuſcriptis Camerarianis. Eam ſcenam quia attigi, non poſſum quin quæ ibi mutari velim tibi proponam. Editur ibi: *Te cum illa verba facere de iſta re volo, Nam cum alio agere ſane conſervo liceat tibi, Qui potius quam tu. ſed enim tu tuam rem tute agas, Dicas uxorem tibi neceſſum eſſe ducere.* Conſilium eſt, quod Palæſtrio, ſcelus viri, hero ſuo dat, quî concubinam ſuam herus miles à ſe amittat. Ceterum valde ſibi non conſtare videtur; primum ſuadet ut ipſe miles concubinam dictis bonis ædibus exædificet, tum volt ut per conſervum id curet; demum rurſus ſuadet ut ipſe eam compellet. Et cur quæſo conſervum dicit? an qui Palæſtrionis ſit conſervus: nugæ meræ. non dubito reſcribendum ex altero manu-

ſcripto

ſcripto Joachimi codice: *Nam cum illa ſanè congruus ſermo tibi.* Deinde additâ interrogationis notâ lego: *Qui potius quam tu?* Hortatur eum, ut ipſe concubinam expellat, ne poſthac forſan diceret, ſe inſcio & invito acta, quæ ſervi cum ea transegiſſent. Et paullo ante eadem ſcenâ: Py. *Qui tu ſcis eas adeſſe?* Pa. *quia oculis meis vidi hic ſororem eſſe ejus.* Py. *convenitne eam?* Pa. *Convenit.* Py. *ecquid fortis viſa eſt?* Pa. *omnia vis obtinere.* Py. *ubi matrem eſſe ajebat ſoror?* Non neſcio ut illud nobis interpretentur: *Omnia vis obtinere.* Sed magis tamen animo meo cara eſt lectio, quam meum & Muſarum delicium Chriſtoph. Pflugius equitum Germanorum ocellus, & juvenis argutiſſimus commentus eſt: *Omnia viſa obtinere.*

EPISTULA. VIII.

Inluſtri viro

PETRO FABRO IC.

VAlde ego, ſi quiſquam alius, amo & colo elegantiſſimum Jani Gulielmii ingenium: cui ſi ſuperſtiti eſſe diutius licuiſſet, ne nos Germani exteris nationibus numquam invideremus. In quo judicio meo ſi quis me errare putat, eum errorem mihi cum omnibus doctis, atque adeò tecum, Faber inluſtriſſime, communem eſſe ſciat. nec enim moroſorum quorumdam more ſegeti juvenantis illius ingenii invidebas. ſed ſcriptis tuis aureis, & elogio Gallorum ſapientiſſimi, hoc eſt tuo, juvenem illum honeſtiorem eſſe voluiſti. Quamvis autem heic leviter ab ipſo diſſentiam, facere me illud tamen exiſtima, *Non tam certandi ſtudio, quàm propter amorem, Quo illum imitari aveo,* ut Lucretii verbis utar. Ille igitur flos & princeps

B 5 juven-

juventutis, elegantiſſimus quondam Gulielmius libro Veriſimilium ſuorum tertio capite ſexto hunc Cenſorini locum de ſeminis profluxu emendare adgreſſus eſt: *Hipponi verò Metapontino, ſive, ut Ariſtoxenus auctor eſt, Samio ex medullis profluere ſemen videtur, idque eo probari, quod poſt admiſſionem medullas, utpote exhauſtas, non reperiat: ſed hanc opinionem nonnulli refellunt, ut Anaxagoras, Democritus, Alcmaon. hi enim poſt [gracam contentionem] non medullis modò, verùm & adipe, multaque carne mares exhauriri reſpondent.* quæritque non immerito, quid verba illa *poſt gracam contentionem* ſibi velint, ingenioſè quoque corrigere inclinat: *gregum contentionem*, vel, *tentionem.* ut tentigo ſive tentio illa ſit libidinatio καὶ ὁρμὴ εἰς συνουσίαν. Exoſculor profectò acumen hominis, ſed mihi tamen verius videtur, verba illa, Græcam contentionem, deleri & induci, & συνουσίαν græcam vocem, tamquam fugitivam, reprehendi, illorumque vicem reponi. Cum itaque librarius aliquis in veteri exemplari reperiſſet συνουσίαν, eique interpretamenti loco additum, *conventionem*, ipſe Græcæ linguæ ignarus, adſcribſit, Græcam, cum Latina ſua interpretatione. de quo tamen te, Vir Ampliſſime, arbitrari velim & præter te ipſum cumprimis Gruterum meum, qui lib. ſuſpicion. 4. cap. 12. corrigit: *crebram contentionem*, vel, *conventionem.* cui tamen heic adſentiri nolim.

Epistula IX.

Generoſo & ſpendidiſſimo adoleſcenti

PHILIPPO GULIELMO A BERNSAU,

Domino in Hardembergh.

JAmdiu eſt, Philippe Gulielme, cariſſimum caput meum, quod inter nos non vidimus, ex quo tu Argentinam paullò poſt meum abitum Heidelbergâ conceſſiſti. Non tu tamen, ſi bene te novi, Scioppii tu oblivisci umquam poteris, cum quo non ſolum in menſa V. Cl. Petri Quenteni Bedburenſis Medici, ſuaviſſimè aliquandiu vixiſti, ſed eo etiam amore eum complexus es, ut dies noctesque perpetuo ferè contubernio cum ipſo viveres, nec quicquam tibi tum moleſtiùs videretur, quàm vel unum à Scioppio tuo diem abeſſe. In mentem mihi nunc venit illius diei, qua juſſu paterno teque aliosque amicos meos deſerere coactus fui. Dii boni! quod tibi tum quantumque cordolium peperi! quibus me votis, quibus abeuntem lacrumis proſecutus fuiſti? Quas etſi mihi tum videre grave erat, nunc tamen recordanti quam gratiſſimæ ſunt, ut quas puri puti & germani amoris in me tui argumentum eſſe credam. Neque verò, mi Gulielme, ſuſpicari debes me multis à te millibus diſpretum tui tamen factum immemorem, vel te perdidiſſe, quos mihi honores habuiſti. Nam pol mihi grata acceptaque æternùm erit præclara voluntas in me tua, & ſi quid labores noſtri poterunt, aliàs operam ſedulò addam, ut *Nulla dies umquam memori illanc eximat ævo.* Nunc verò adfero tibi ſuſpectas aliquot in Plauto lectiones,

lectiones, quas tibi fore ſcio jucundiſſimas, vel quod ſcribſerit eas, quo tibi nemo omnium olim vixit carior, vel illi ſcriptori juvando ſunt, quem tu meo impulſu invitis illis, qui tua ſtudia ordinanda receperant, jam olim amare & imitari didiciſti. Ciſtellaria act. 2. ſc. 3. *quo avecta eſt eo ſequemur. ſiccine Agis nugas? periſti, ni hercle hoc ediſſeris. Inſtare uſque adeo donec ſe adjurat.* narrat iſtic ſervus Lampadio de muliere, quam olim expoſitam herilem filiam abſtuliſſe viderat, quamque invita confeſſa fuerit de expoſitâ illâ, queisque modis inſtiterit & verum inde extorſerit. Ceterum medius verſus haut paullò aliter in membranis ſcriptus eſt: *periiſti ne hercle hoc longe dediſti.* In Langianis etiam libris aliter: *periiſtine. hercle longe,dediſti.* Quæ ſane aliquem ſibi Oedipum quærunt,non Scioppium.Suſpicabar tamen:*periiſti ne hercle hoc longe. Et iſti Inſtare.* q.d. ſic nugari mihi poſtulas? hercle non hoc longè à te abeſt pernicies, parum abeſt quin pereas vel perire debeas. Poſt illam mimeſin colloquii ſui pergit ſervus exponere quomodo inſtiterit ut illud quod volebat exquiſitum auferret. *Ne* pro non. ut Ne rectè dicere, id eſt, maledicere, & alia plura apud Plautum. *Hoc longe* ſicut tantillum quaſi cum demonſtratione unguis vel ſimilis. Sic Moſtellar. *Quid eſt igitur? abeamus hinc nos.* T R. *non hoc longe Delphium.* Sic Trinum. S C. Minus quindecim. *Decedam ego illi de via, de ſemita, De honore populi: verùm quod ad ventrem attinet, Non hercle hoc longè niſi me pugnis vicerit.* Nam quod doctiſſimus Lipſius mutat: in: *hoc ungue*; nihil me turbat, qui ſciam & ſummos viros nonnumquam alucinari & nimis ſæpe ſua præcipitanter commenta amare. major debet eſſe Criticis ſpectatorum manuſcriptorum, quam quorumvis temerè oblatorum librorum auctoritas. receptam lectionem adgno-

ſcunt

ſcunt Camerariani, Vaticani & Langiani denique. qui bonitate ceteros quantum eſt facilè antiſtant, præſertim autem Camerariani. Sic & Aulul. *Hoc proprius* dixit, ut rectè admonuit Gulielmius: *Si ad januam hoc acceſſeris, niſi juſſero, propius*. Si cui tamen ſuſpicio noſtra placebit minus, ei ſic ad aliud cogitandum præibimus. In dediſti mendum latere certum eſt. Sic Sticho: *Quamdiu non ediſti*. in duobus ſcriptis fuerat: *dediſti*. Sic Milite *quod nuſquam eſt vides*. 2. mſſ. *vidiſti*. Et Capteiv. *Avis me fera conſimilem faciam ut prædicas*. Camerarianus. *prædiciſti*. Langiani: *prædixiſti*. Et verſus ibi ſequens ab I, litera incipit ut & hoc Ciſtellariæ loco. Videat nunc lector magis, quam nos, ingenioſus & minus occupatus. Ead. ſcena verſu ultimo: *ibi domum Atque ad parentes redducam Silenium*. Placet Camerariani libri ſcriptura: *parentes ſuos reduco Selenium*. Selenium ſemper in eodem ſcriptum eſt & placet Rittershuſio meo, ut ſit ἀπὸ τῆς σελήνης. Epidic. act. 5. ſc. 2. *Quomodo me ludos feciſti de illa conductitia?* Fugerat hoc loco elegans vocula, quam adjuvantibus Langii membranis reſtituo: *Ludifeciſti*. Ludifacere & ludificare, ut ſignificare & *ſignifacere* l. 65. §. 1. D. ad Trebell. & *ædifacere*. l. 60. §. mandavi. D. locati. l. 10. §. ult. D. ſoluto matrim. Ut & *lucrifacere*. Eadem ſcena: *Quid iſtis oratis opere tanto?* Locus male ab interprete acceptus. Lego: *quid iſtuc*. quid tu Stratiptocles & tu mea filia tantopere hoc oratis, ut Epidicum Libertum mihi faciam. Jam ſatis video licere ejus merito facere, id eſt, eum vinctum ſolvere & libertate donare. non itaque opus erat me rogari.

EPISTULA X.

CHRISTOPHORO PFLUGIO

Suo, Eq. Miſno.

TU jam fortè, Pflugi cariſſime, propempticon à me exſpectas. Scis autem ipſe, quàm nunc à verſibus ſcribendis abhorream, ut parùm afuerit, quin omne illud ſtudium ejurarem. Poſtea verò vel eò invitius tibi Propempticon ſcribo, quòd quotienscumque immaturum atque adeò præmaturum tuum ex hac Academia, cujus tu multis retrò annis ornamentum unicum fuiſti, diſceſſum recordor, adeò mœrore augeor, ut omnem ſcribendi libidinem amittam. Carminis vicem itaque correctiones Apulejanas tibi mitto. Tu ocelle noſter lege & judica. Libro quincto de aſino, ubi Pſyches ſorores germanæ invidiâ tacitâ ferme contabeſcentes, & miſellæ ſorori quodvis malum machinantes deſcribuntur, editum eſt: *Nec tamen ſceleſtarum feminarum nequitia vel ipſa mellita cantus dulcedine mollita conquievit: ſed ad deſtinatam fraudium pedicam ſermones conferentes, diſſimulanter occipiunt ſciſcitari, qualis ei maritus.* In veteri libro pro, *feminarum*, fuit, *ſtrivarum.* nimirum fugerat vetus dictio, *ſtrigarum*, hoc eſt veneficarum: quam nobis vetus magiſter in gloſſis conſervavit. *Striga*, γυνὴ φαρμακίς. de quo plura naturæ illud φιλοτέχνημα, & meritò Divûm genus JOS. SCALIGER, in Catalectis. Didicimus autem ex Plauto noſtro, & Petronio, convicium eſſe in homines improbos, ut φαρμακοὶ & φαρμακίδες, venefici & veneficæ dicantur. Adhoc in illis verbis cum v. l. lego:

lego: *ſermones conſerentes*. Iſidorus 7. Origin. *Sermo dictus, quia inter utrumque ſeritur. Unde in Virgilio: Multa inter ſeſe longo ſermone ſerebant.* Nonius ex Aulular. Plauti adducit: *Sed leno egreditur foras, Hinc ex occulto ſermone ſatus ſublegam.* Quæ tamen verba hodie in Aulularia nuſquam comparent. An ex illis eſſe putabimus, quæ in fine illius fabulæ deſiderantur? Non ego. nam certè de lenone in illa fabula nihil dicitur. Puto non incommodè referri poſſe ad ſcenam, Emortuum. ubi ſic Strobilus *Atat foris crepuit. ſenex eccum aurum effert foras. Tantiſper hic ego ad januam conceſſero.* Quæ ego cum his Nonianis libens componerem legendo:

Atat foris crepuit: ſed (vel, &) ſano egreditur foras.
Tantiſper hic ego ad januam conceſſero.
Hinc ex occulto ſermones ſatos ſublegam.

Ut dicat, ſatos ſermones, pro factos. Sequitur: *Certe ſi divini puelli, quod abſit, hac mater erit, ſtatim me laqueo nexili ſuſpendam.* Si qua mihi fides eſt, audacter poſthac nobis edent typographi: *mater audierit.* nam ſic in v. l. Modius reperit. *Audierit*, id eſt, dicetur, ſicut κλύω, quod Græcis eſt audio, Latinis eſt, dicor, vel etiam, ſum. Cluo & Clueo, unde rectà deſcendit inclitus, qui valde cluit ſive celebris eſt. Non multò poſteriùs: *Immanem colubrum, multinodis voluminibus ſerpentem, veneno noxio colla ſanguinantem, hiantem ingluvie profunda.* Corrigo more meo librum veterem ſecutus: *Saginantem* metaphoricè, qui collum veneno plenum gerat. Statim poſt, cum multa germanæ illæ ſorores argumenta dixiſſent, quibus Pſychæ odium mariti inſtillarent, tamdem ſubjungunt: *At hic jam tua eſt exiſtimatio, utrum ſororibus pro tua*

tua cara ſalute ſolicitis adſentiri velis &c. Venuſtius vetus codex: *Adhoc tua eſt exiſtimatio.* Notum ex Salluſtio, Livio, Tacito, aliis *Adhoc* pro præterea poni. Pagina proxima: *Cunctiſque ocyus tecum relatis, votivis nuptiis hominem te jungemus homini.* Non debuit fortaſſis temerari ſcripta lectio: *Cunctiſque iſtis ſociis tecum rebus, votivis &c.* Et vetuſtatem quamdam reſipit, *tecum ſociis* pro tibi ſociis, velut apud Propertium, Nox tecum pro tua nox. Paullò poſt: *At Pſyche relicta ſola, niſi quod infeſtis Furiis agitata, ſola non eſt, æſtu pelagi ſimiliter mærendo fluctuat.* Placet, quod eſt in libro veteri: *ſimile*, adverbialiter quaſi poſitum Cic. I. Academ. *Similè vos cùm perturbare, ut illi rempub. ſic vos Philoſophiam bene jam conſtitutam velitis, Empedoclem, Anaxagoram, Democritum profertis.*

EPISTULA XI.

PHILIPPO SCHERBIO, MEDICO ET PHILOSOPHO

Germaniæ noſtræ eminentiſſimo.

EGo verò te, Philippe Scherbi, Vir præſtantiſſime, nequaquam ad hujus notæ medicicinam, quæ adfectis & deſperatis ſæpe veterum ſcriptorum locis fieri à nobis ſolet, adhiberem: niſi jamdiu perſuaſiſſimum mihi habuiſſem, te non me ſolum meaque propriè omnia amare & laudare, ſed unum ex omnibus hac ætate elegantiſſimè ſimul Philoſophari & adprimè omnem politiorem & humaniorem literaturam callere. Etſi autem pudor quidam vel ætate mea vel bona inſtitutione non indignus plura me tuarum laudium referre v tat, ut hominem qui iſtuc philoſophari minimè

minimè didicerit, mihi tamen vitio nemo, ut opinor, dederit, ſi virorum doctiſſimorum, cum quibus & hîc & alibi vixi familiariter, communi conſenſu, qua ingenii ſolertia, qua judicii gravitate & acumine omnium te patriæ noſtræ Peripateticorum patrem & principem, veterum more, appellem. Quod acumen tuum, ut parumper ad hanc leviorem operam noſtram attendas, opere te maximo rogatum velim. Caſina. Plauti act. 3. ſc. 4. conqueritur ſecum Acheruntícus ille amaſius, de invenuſtate ſua, cui in amoribus nihil rectè ſub manus & ſatis ex ſententia ſuccedat. Verba ipſa ſunt: *Quâ ego hunc amorem mihi eſſe autem dicam datum? Aut quid ego umquam erga Venerem iniquè fecerim, Cui ſic tot amanti mihi obviam eveniant moræ?* Non neſcio, ut nobis primum verſum interpretentur, τὸ *Quâ* nimirum, conciſo loquendi genere, & in Plautinum morem, pro, Quâ ratione, dictum videri. Sed particulam *autem*, quæ ferè ſecundum, nonnumquam tertium in oratione locum occupat, heic admodum in extremo verſu collocari, id verò meis auribus, ſic ſatis in Plautina lectione tritis, neſcio quàm non familiare objiciatur. De quâ ſolicitudine meâ ſolemni vix doctiſſimo compatri tuo Rittershuſio innuere memini, cùm ille, pro ſuo in mendarum origine inveſtiganda ſagaci acumine, gloſſema ſtatim inibi odoratus eſt. Scriptum enim à Plauto videri: *mihi eſſe autumen datum*, ut τὸ *dicam* ſit gloſſa & interpretatio verbi *autumem.* Autumare namque nihil aliud eſt Lat. veteribus, quàm dicere. Gloſſar. Lat. Gr. *Autumat*, λέγει. *Autumator*, ὀνομαστής. De qua conjectura amici noſtri, etquid ſentiam quæris? Ego verò veriſſimam illam ſemper arbitratus ſum, & in provocabulo *mihi* vocalem non elidi, quamvis ſequente

 vocali

vocali, ut metrum ſuis conſiſtat pedibus. Ubi tamen veteres editiones conſului, (quas ad fidem manuſcriptorum librorum jam olim impreſſas vero ſimile eſt,) reperi, *aut*, pro *autem* in illis exaratum. quare ſuſpicatus fui ſcriptum antiquitus fuiſſe, *avi*. quod alius poſtea ſimilitudine elementorum deceptus in, *aut*, commutavit: rurſum alius, *aut*, pro *autem*, compendioſo ſcribendi genere factum putans, *autem* repoſuit. Ridebunt nonnulli Plautinæ proſapiæ & quinctæ claſſis homines ignobilem meam in re tam tenui curioſitatem. quos ego ridere, vel uſque dum dirumpant, facile patior: dum Scherbius interim, vir in ſtudiis graviſſimis occupatiſſimus, meam tamen diligentiam quantivis pretii & non niſi commendandam exiſtimet. Dictum igitur, *Qua avi*, pro quo omine, qua ſorte, quo auſpicio, ut Dextra, Bona, Mala, Adverſa avi, vel alite. Horat. Epod. 10. *Malâ ſoluta navis exit alite.* Rurſum: *malâ ducis avi domum*. id eſt, infeliciter & malo omine. Videnda doctiſſimi Cruquii ad eumdem locum commentaria. Plautus Bacchid. *Quo nunc capeſſis teted hinc adverſa avi.* Sic ibi, meo quidem animo, rectè Gulielmius. Poëta vetus apud Ciceron. *Solvere imperat ſecundo rumore atque adverſa avi.* Ubi doctiſſimus Giphanius amicus tuus docuit me, *Rumorem* pro flumine poſitum, quod Græcis eſt ῥοῦς ipſe aquæ fluctus aut fluor. Virgil. 8. Æneid. *Ergo iter inceptum celerant rumore ſecundo.* Scena ſequenti in Caſina volgant libri: *Tanta factis modò mira miris modis intus vidi*. Non dubito pro *factis*, quod nihili eſt legi oportere: *factu*. Mira factu, loquendi modo protrito. Vel certè: *facta*. Ut Amphitr. act. 5. ſc. 1. *Ita tanta mira in ædibus ſunt facta; væ miſera mihi. Tanta* autem *mira facta* utrobique dixit, vel pro tam mira, vel pro Tot mira facta. Sicut

Bacchid.

Bacchid. *Sexcenta tanta reddam ſi vivo tibi.* Et Pſeudol. *Quaſi mihi non ſexcenta tanta ſoli ſoleant credier.* Sic Quantus pro quot Latinos dixiſſe ſatis adſeruit Stewechius in doctiſſimis ſuis ad Vegetium Commentariis. Julius Severianus in Syntom. Rhetor. *Sed nec quiſquam æſtimet argumentis numerum præfinitum, ſiquidem tanta eſſe poſſunt, quanta Orator intento acriter ingenio reperire valuerit.* Unum addam eadem fabula act. 5. ſc. 2. *hinc te volo memorare quid eſt factum?* OL. *At flagitium eſt.* CL. *cavebunt, qui audiverint, faciant.* Pigeret me tam levium correctionum, niſi viros magnos eadem avidius ſæpè, quàm par erat, captaſſe intellegerem. Hîc itaque pro *faciant* legi volo, *faciam.* atque hoc Delfis tibi reſponſum dicito. *Faciam cavebunt*, pro futurum eſt, ut caveant, ut τὸ *faciam* ſit quodammodo parelcon. Sic prolog. Capteiu. *Valentiorem nactus adverſarium ſi erit, ego faciam ut pugnam cernat non bonam.* Et Amphitr. *illa ſi iſtis rebus te ſciat operam dare, Ego faxim te Amphitruonem eſſe malis quàm Jovem.* Perſa. *Si id fiat, nê iſti faxim nuſquam appareant, Qui hîc albo rete aliena oppugnant bona.* pro, eveniet ut nuſquam appareant. Similem Apuleii locum alibi in his libris emendavimus.

EPISTULA. XII.

JACOBO LECTIO JC.

VElim te arbitrari, Jacobe Lecti, me hæc verba meæ fidei, quam à te inductus ſugillari poſſe intellego, vel ipſius etiam Symmachi cauſſa, in quo juvando uterque noſtrum ſategit, tecum nunc facere, ita ut hominem, cui fama curæ ſit ſua, æquum eſt. quamquam haud falſus ſum nos adoleſcentes immodeſtiores plerumque videri. Verum hoc unum tamen tecum facito

 cogites,

cogites, meam mihi ſuam cuique famam & exiſtimationem curæ cordique eſſe debere. Eoque nunc hîc te compellare volui, ut paullò liberius & familiarius tecum expoſtularem. Scis jam diu opinor, quæ Criticorum aliorumque qui ſcriptorem ſuâ curâ recenſitum in lucem edere volunt, partes & officia ſint. ut nimirum quæ ab aliis in eum collata ſunt auctorem, vel emendandum vel illuſtrandum, bona fide remittantur; nihil alieni vel injuſtè arripiamus, vel taceamus invidè: libris quoque manuſcriptis quæ emendationes debentur, nequaquam ingenio & ſagacibus conjecturis noſtris tribuamus. hoc enim modo vel officio noſtro ſatisfieri, vel pudori commodè conſuli ſemper exiſtimavi. Tu autem, vir doctiſſime, quod libere liceat (non enim tam exprobrandi, quàm admonendi tui hæc nunc dico) nonnumquam mihi iſtic peccare viſus es. Sed nolo nunc adferre odioſa illa, quæ ad me nihil attinent, quæque ætati illi tuæ juvenili vir jam conſtantis judicii potes adſcribere: illud potius, quod me propritim ſpectat, cujuſque gratiâ hanc amicam & minimè acerbam velitationem ingreſſus ſum, recenſebo. Ludovicus Carrion Brugenſis Juriſc., & vir doctiſſimus aliquammultas Symmachi epiſtulas numquam ante editas ex ſcripto codice princeps evolgavit in ſuis Emendationum libris. quorum diebus ſuperioribus copia mihi facta per virum quemdam eruditum, qui mecum expoſtulat, quod eam Symmachi Epiſtulam, quam libro Veriſimilium meorum primo cap. 5. propoſui, à me Æſculapio velut in vitam nunc demum revocatam glorioſè jactitem, cum tamen multis annis ante à Carrione publicata fuerit, cujus etiam emendationes ſine fronte mihi adſcribſerim. Quid tu? quid animi tum mihi fuiſſe cenſes, plagii & fraudis tam apertè convicto? nam

nam negari non poteſt illam quam dixi epiſtulam, quaque me adeò viris doctis ferocem feci, à Carrione libro Obſervat. & Emendat. I. cap. 11. & 12. propoſitam & emendatam. Quis credet mihi, ſi adſeveraro, & viros doctiſſimos Cunrad. Rittershuſium, Ignatium Hannielem Juriſconſultos, aliosque Eruditos juvenes, qui mecum jamdiu familiariter vixerunt, ad teſtimonium citaro, numquam me illos Carrionis libros oculis aut manibus uſurpaſſe? hoc adeò tuâ operâ imprudens in me concivi malum. qui cum duas illas epiſtulas ad calcem editionis tuæ adiceres, adfirmare nihil dubitaſti ſolas illas duas à Carrione editas fuiſſe. De ceteris verò ſic pronuncias: *Alias enim quaſdam in his libris non extare credidit fruſtra.* Ego tibi non diffidens cum epiſtulam illam in manuſcripto Giphaniano reperiſſem, quod à te præterita fuerat, tamquam primus illam edidi. at nunc quàm deluſus à te fuerim, ſerò demum intellego. Sin autem à te imprudente omiſſa illa fuit, facilè tibi ignoſco eatenus, ſi tu mihi viciſſim, ignoſces quod plagii ſuſpicionem ut à me amolirer, paullò te hic compellavi familiarius. Gaudeo tamen me illam nonnihil emendatiorem, quam Carrio, propoſuiſſe. In verbis illis. *Ne ego ſum ſtultus ac nihili ſi os ſublitum eſſe mihi non ſentio.* cum pro *ſublitum* (quod eſt in Giphaniano codice) *ſublimatum* in Carrionis membranis eſſet, non debuit dubitare Carrio reſcribi poſſe *ſublinitum*, quod in Fuldano exſtat: nec autem Latinitati vocis iſtius diffidere. Quid enim? an non ad hoc exemplum Plautus Milit. ſc. 2. *Ita ſublinitum eſt os cuſtodi mulieris.* Et ita, ſi ſcriptum Camerarii codicem audias, Mercat. act. 2. ſc. 4. dixerat: *Vin patri ſublinire pulchrè me os tuo?* CH. *ſane volo.* Sed ibi editum eſt: *ſublinere.* Sequitur in eadem epiſtula in mſ. Giphaniano: *Eo poſtquam rumor adlatus eſt,*

terræ filios convenire, *oppidò cavimus ne ſobriam ſolitudinem noſtram ſordiditas plebeja fuſcaret.* Pro *ſordiditas* Cario maluit, *ebrietas*; quia nimirum in ſuo libro repererat: *ſolitas.* Sed mihi tam certum eſt, quam me vivere, ſcribi oportere: *ſodalitas*, ut Fuldanæ ſchedæ oſtendunt. Symmachus Baiis locatus poſtquam audivit eo venire homines ignobiles, plebejos & terræ filios, ipſe abiit, quod ſuam Conſulis & Præfecti urbi dignitatem hac hominum viliſſimorum ſodalitate & convictu obſcurari & evileſcere nollet. Sequitur: *Ne aut mihi diu deditì ab opere diſcederent*, *aut eos occupatio geminata diſtenderet.* Placet ut cum Carrionis libro legamus: *ab opere deſiderent.* Nam & inde Deſes & deſidia dicuntur. In Fuldanis ſchedis ſcriptum fuerat, *diſſiderent*, & ſupra notatum, *diſſederent.* quibus illa quam dixi lectio magis confirmari mihi videtur. Bene vale.

EPISTULA XIII.

HUGONI BLOTIO V. CL.

NEminem audivi umquam, Hugo Bloti, vir doctiſſime, qui non ita acceptum à te diſceſſiſſe ſe prædicaret, ut tuam ſingularem humanitatem cum pari eruditione conjunctam nequaquam pro quam par erat laudari poſſe à quoquam arbitraretur. Cujus ut ipſe experimentum quoddam caperem, hæc ad te noſtra mittenda mihi cenſui, ſi forte eumdem te in judicando experiri poſſint, qui in peregrinos quoſque eſſe ſoles. Pſeudol. act. 1. ſc. 3. lenonium dictum audies. *Sed ſine argento fruſtra eſt*, *quòd me tui miſereri poſtulas.* at ego neſcio quî legere ſemper malui: *fruſtra es.* id eſt, falleris, vel, erras. Quomodo Plautus

Plautus loqui ſemper ſolet. Poſtea ſc. 5. volgant: *Statum vide hominis Calipho, quaſi baſilicum.* In Camerarianis fuit: *quiam baſilicum.* unde non tuus magis quàm meus Rittershuſius: *quam baſilicum* evidenter correxit. Actu ſecundo extremo: *ne quid titubet, doctè ut hanc ferat fallaciam.* quia nondum à quoquam indicatum video, hoc quamvis leve, minimè mihi tacendum exiſtimavi, legendum nimirum: *ferat fallaciam.* Sicut, *ſator ſcelerum.* Act. 4. ſc. 2. ſubdititium illum Harpacem cum lenone commiſſum ex occulto auſcultat Pſeudolus. ibique hæc ſunt: Sy. *Heus tu qui cum hirquina adſtas barba, reſponde quod rogo.* Ba. *Eho, an non prius ſalutas?* Sy. *nulla eſt mihi ſalus dataria.* Ba. *Nam pol hinc tantumdem occipies.* Ps. *jam inde à principio probus.* quod Pſeudoli judicium de ſuppoſititio tantum. Harpace, ſimia inquam, dictum videtur. ſed nondum quiquam probior ille vel nequior quàm leno Ballio, qui non minus audacter & nequiter reſpondet, quàm alter laceſſiverat. quare malo ut in membranis ſcriptum eſt, *Jam inde à principio probi.* q. d. quantum ex primo ipſorum colloquio colligere potui, non malum mehercle proborum (ſi dIs placet) hominum par commiſi. Sunt enim invicem pariſſimi. Act. 4. ſc. 6. cùm Harpax militaris cacula ſui heri nomine Phœnicium ab lenone abducturus eſſet, leno, qui eum à Pſeudolo ſubornatum ſuſpicatur, jocoſe ex ipſo quærit, quantò ornamenta iſta, quibus à Pſeudolo inſtructus ſit commodata fuerint. Ibi & hæc ſunt, *quid mercedis petaſus hodie domino demeret?* HA. *Quid domino? quid ſomniatis? mea quidem hac habeo omnia Meo peculio emta.* Sed quod verſus ſecundus quædam in Camerariano utroque inſerta habet, non temerarium mihi videtur. Sic autem ibi legitur: *Quid domino? quid ſocii? quid ſomniatis?* Jam capillos, opinor, promit-

tam, incipiamque ariolari. Puto enim ſcribendum *Quid* (*ſive Quoi cum Rittershuſio*) *domino?* BA. *quid ſocci?* HA. *quid ſomniatis?* Cum enim omnia ornamenta ſcenica enumeraſſet leno, chlamydem, machæram, petaſum, veriſimile non eſt eum ſoccos omittere voluiſſe, cum præſertim ex ſocci in ſocii facilis & proclivus fuerit lapſus. Tu tamen Bloti doctiſſime exiſtimabis, ut & de eo quod ibi ſequitur. *Tu qua facie fuit dudum cui dediſti Symbolum?* verúmne illud ſit, quod pænè puero in mentem mihi venit, pro *dudum* legendum, *dicdum* ut alibi & Truculento extrema: *Quid id amabo eſt, quod dem? dicdum.* Sic Menæchmis act. 2. ſc. 3. in hoc verſu: *Accipe: jam hoc ſcibo, utrum hæc me mage amet, an marſupium.* Pro *jam*, in utroque mſſ. fuit: *dum.* amplius ſic lego & interpungo: *Accipe dum hoc: ſcibo utrum hæ m. m.a.a.m.* Nonius in Expedibo hunc Pacuvii ex Peribæa verſum adducit: *Mane expedibo factum, mihi quod contra rogo, reſpondeas.* Malim: *Mane, expedibo: facdum mihi quod contra rogo reſpondeas.* quamvis verò aliquantò pòſt M. Antonium Del-Rio comperi legere: *fac tu mihi &c.* me tamen nihil eſt cur mei commenti pœnitere debeat.

EPISTULA XIV.

SCIPIONI GENTILI JURISCONS.

NOn nulla ab ratione de egeſtate Latinæ linguæ cùm veteres, tum recentiores conqueri exiſtimo. quin potiùs cùm querelam eorum piam juſtamque arbitratus ſemper fuerim, in id incumbo, ut nonnumquam veterum librorum ductu, vel Grammaticorum auctoritate ex Romana civitate ejecta interceſſione mea reſti-

tuam,

tuam, vel fugitiva reſupinem & velut reprehendam. tale fuit, quod nuper capite primo libri ſecundi Veriſimilium meorum adverbium *Proquam* viris etiam eruditiſſimis ignotum, quamvis elegantiſſimum reſtitui. Locum autem, ubi illud reſcribendum eſſet, hunc ex Symmacho indicaram lib. I. epiſt. 12. *Non ſatis mihi viderer, pluſquam res poſtulat, fungi debitum meum.* Cùm enim neminem futurum ſperarem, qui non abſurditatem verborum illorum nauſeaturus eſſet, & doctiſſimus Lectius in eo interpolando minùs feliciter fuiſſe mihi videretur (nam prælicenter, *prout*, pro *pluſquam* reponere nobis conatus eſt) conteſtari volui, impendio mihi placere, ut volentibus Giphanianis & Fuldanis membranis, *Proquam*, id loci reſtitueretur. Sed optarunt fortaſſe viri docti, ut ejuſdem particulæ uſum locupletis & adſidui alicujus ſcriptoris veteris calculo confirmâſſem. neque id ſanè me invito. nullo enim modo, quæ vel ipſos delectare, vel ſtudioſis erudire poſſunt, præterire velim. Duo itaque heic Lucretii loca proponam, cùm ut vis illius particulæ penitiùs intellegatur, tum ut à politiſſimo poëta Lambini vim & Giphanii ſuſpiciones defendam. Prior quidem ille locus eſt ferè ſub calcem libri ſecundi:

Quippe etenim quanto eſt res amplior, augmine dempto,
Et quò latior eſt, in cunctas undique partes
Pluria eò diſpergit, & à ſe corpora mittit.
Nec facilè in venas cibus omnis diditur eii:
Nec ſatis eſt, proquam largos exaſtuat artus,
Unde queat tantum ſuboriri ac ſuppeditare.

Totum propoſui, ut in Giphanii editione legitur, ut proclivius lectionem meam tibi homini eruditiſſimo probem. Docet autem poëta doctiſſimus, unamquamque rem (verbi gratia, hominem) plura in ſe corpora recipere (ut cibum &c.) quàm

 ex

ex ſe emittere, tantiſper dum creſcere deſinat. Si jam deſierit creſcere, plura corpora emittere, quàm in ſe recipere. quia cibus non amplius ita in venas didatur, nec ſufficiens ſit, prout multum ſemper decedit de corpore, ut tantum inde (ex cibo) reparari poſſit. Hic eſt verſuum illorum ſenſus, hæc diſputationis ſumma. Riſi autem Lambinum tam ſuaviter mihi ad iſtum locum nugari, qui contra veteres libros, verſum illum, *Nec ſatis eſt &c.* tamquam ſpurium inducere poſtulat. Longè timidior, vel verecundior certè Giphanius, qui locum ſibi de mendo ſuſpectum fatetur, nec *τὸ proquam* ſatis à ſe intellegi confirmat, doctorum denique virorum diligentiam in animadvertenda iſta particula implorat. Amo & exoſculor raram hominis verecundiam, quæ ne mihi indonata abeat, ad totum locum illum perſanandum tamdem accingar: Poſtremum itaque verſum, tamquam à ſcriptis libris exſulantem, & putidum gloſſema reſipientem, ultrò hinc in ſolas terras amando. A ſciolo enim adſutum videlicet, qui *τῷ Tantum*, per hunc verſum reſpondere voluerit, conciſi ſermonis ignarus. hoc primum; deinde verſu antepenultimo conjecturâ ductus leviter corrigo: *Nec ſatis eſt, proquam largo ſe exæſtuat æſtu.* quia in pleriſque veteribus libris fuerat: *proquam largos exæſtuat æſtus. Æſtu*, id eſt, motu, ut ſæpè Lucretius. Cibus exæſtuat ſe largo æſtu, hoc eſt, è corpore emittitur & diſcedit. Alter verò locus eſt lib. 3.

—— igitur parviſſima corpora proquam
Et læviſſima ſunt, ita mobilitata feruntur.

Itaque Vaticano codice, diſertim legi Lambinus teſtatur, quamvis ille, ut antiquum obtineat, & auctores nobis depravet ſolens, legat: *corpora quanto.*

quanto. Sed non ita debet cuivis quidvis in bono-auctores licere. *τὸ Proquam* itaque ibi retinebimus venuſtè. Corpora prout ſunt parviſſima & læviſſima, ita feruntur mobiliſſima. Nec verò à loquendi conſuetudine recedemus, ſi *Proquam ἀντὶ τοῦ Prout* dixerimus. Cur enim minus hoc, quàm *Praquam* & *Praut*? quod Plautus frequentare amat. Exempla plurima videre licet apud God. Stewechium in eleganti de Latinæ linguæ particulis libello.

EPISTULA XV.

HUBERTO GIPHANIO JURISCONS.

AMicè tu quidem facis, Huberte Giphani Juriſconſultorum ocelle, & inſigni illi humanitati tuæ conveniens, dum me ad tui imitationem, ut alter tu fieri ſtudeam cohortaris, & elogio, tuo de me unico apud amicos me honeſtiorem eſſe cupis. Ceterùm nec ego umquam, nec quivis alius, qui modo incolumi capite ſit, ad eruditionem vel ſummam tuam nos proceſſuros ſperamus, nec autem etiamnum quicquam quod me ad ſumma quæque natum arguat (velut tu in tuis ad Ritterſhuſium literis ominaris) ex officina mea proficiſcitur. Mihi tamen à tam laudato viro, atque ipſe es, laudari longè gratiſſimum accidit; ut qui ab optimo magiſtro, Symmacho nimirum meo, didicerim, raram illam eſſe ingeniorum meſſim. Quem ego ſcriptorem dum meum dico, ingentium tuorum in me beneficiorum in mentem mihi venire ſolet. Simul enim me in ædes atque adeò amicitiam tuam admiſiſti, jocorum & ſeriorum tuorum ferè conſcium eſſe voluiſti, omnem bibliothecam tuam, quî ſtudiis meis commodaret, obtuliſti,

obtuliſti, ea denique in me bene feciſti,nt nihil amplius ad illum beneficiorum cumulum accedere poſſe videretur: tu ecce,omnem nimirum omnium ſpem & exſpectationem ſuperaturus, manuſcriptum tuum Symmachum venerandæ antiquitatis librum, tibique in uxoris loco carum, hoc eſt, famam & ipſam nominis mei vitam ſi non perpetuam, certè diuturnam, mecum communicando largitus es. Hæc qui exigua deputat,ne ille iniquus beneficiorum æſtimator nullo umquam beneficio dignus eſt. Ego verò & ſummum illud judico & illo autem me beatum prorſus exiſtimo. Vix enim paucula indidem in meis Veriſimilibus propoſui, & ecce nullo meo merito præter omnem meam ſpem virorum magnorum & doctorum ad me literæ adferuntur, auxilia ſua & libros vetuſtiſſimos certatim mihi ultrò offerentium; adeò ex Italia quoque ſunt qui complures nondum editas Symmachi epiſtulas mecum ſe communicaturos ſcribant. quam felicitatem meam inſperatam facilè mihi à nonnullis invideri patior, ceterum tibi numquam ſatis gratias, prout meritus es, haberi; agi & referri poſſe profiteor. Tu modò, vir præſtantiſſime, adfectionem illam in me tuam perpetua, huncque tibi clientem, abſentem tamen, artiùs porrò devincire perge. quod fieri à te exiſtimabo, ſi hæc quæ in Plauto hodie ſcribebam, examinare non gravaberis. Pœnuli prologo ſcribo auctoritate quarundam editionum & Camerarianorum librorum fretus: *Neu diſſignator præter os obambulet*, id eſt, ne dum circumcurſat proſpectum eorum qui ſedent impediat. Volgo edunt: *Præteriens obambulet.* quod ſine dubio ex recta illa ſcriptura depravatum eſt. Eodem prologo: *Dat aurum, ducit, noctem rogat, poſt ibi unde ſit, cujatis, captane an ſurrupta ſit.* Verſu primo facillimum fuit ſcribere una dictione,

poſtibi.

poſtibi. quo magis miror id ab editoribus Plautinis non factitatum tamen. quod ut porrò fiat. auctor ſuaſorque ſum. *Poſtibi* pro poſtea, ut *Interibi* pro interea, *Inibi* pro ibidem. quomodo & Gulielmius legendum admonuit hac fabula act. 4. ſc. ult. *nam herus meus Agoraſtocles Ibidem gnatus inde ſurruptus ferè ſexennis, poſtibi Qui eum ſurripuit, huc devexit.* Et Milite ſc. ult. *Verberetur etiam poſtibi amittendum cenſeo.* Sic ſcribo Rudente act. 3. ſcen. 1. *Neque eas eripere quibat inde: poſtibi videatur ad me ſimia adgredirier.* Et act. 4. ſc. penult. ſimiliter lego unâ dictione: *Nunc hinc intro ibo & ſacrificabo, poſtibi jubebo nobis cenam continuo coqui.* Sic lego Ciſtallar. act. 2. ſc. ult. *Ego inſpectavi. herus hanc duxit poſtibi.* nec opus fuerat Douſæ noſtri conjectura: *Pòſt ſibi.* Vide autem obſecro, falſus ne ſim, qui putem Latinos quoque *Poſtidem* dixiſſe pro poſtea, ſicut *Ibidem* pro ibi. Facit ut hoc ſuſpicer Plauti locus Aulular. act. 1. extremo: *Nunc quo profectus ſum ibo, poſtidea domum.* nam in Camerarii membranis diſertim ibi ſcriptum eſt, *Poſtidem.* In quibuſdam Langianis diſpreta voce: *Poſt idem.* in quibuſdam etiam, *poſt item.* Ego certè hoc à Latii conſuetudine minimè putem abhorrere. Nunc ad Pœnulum Sc. 2. act. 1. verſ. 167. *Male formido, novi ego hujus mores moroſi malos.* Corrigo volente altero Camerariano: *hujus mores moros & malos.* Morus pro ſtulto. Menæch. *Ut hoc utimur maxumè more moro, Moleſtoque multum.* Sic Trinum. *Atque is mores hominum moros & moroſos efficit.* Act. 3. ſc. 3. ediderunt nobis: *Age eamus intro.* Co. *te ſequor.* Ly. *age ambula, Ibi quæ reliqua alia fabulabimur.* Co. *Equidem narrabo tibi res ſpartiaticas.* quæ tamen erunt ſine ſuavitate & lepore, niſi ex mſſ. legamus: *Eadem narrabo. Eadem* pro eadem opera, eodem labore narrabo tibi. Conciſe dictum, quoque nihil apud Plautum frequentius.

EPI-

EPISTULA XVI.

LUDOVICO CAMERARIO I. F.

PRiora benefacta mea ut exaugeam, & egeſtati Latinæ linguæ pro virili ſuccurram, age me ſuaviſſime & elegantiſſime Camerari inſuper aliud heic verbum proponentem audi, quod nos & veteribus illis tritum, ſciolorum verò interpolationibus ex finibus Latii tamquam lege Junia ejectum ſtatuimus. Illud eſt verbum *Piſare*, quod pro tundere & pinſere frequentabant. Teſtaretur hoc, ſi viveret, atque etiam teſtatus olim fuerat, doctiſſimus artis Grammaticæ Diomedes, abſque bellorum iſtorum correctorum audacia fuiſſet: quorum operâ hæc hodie apud ſcriptorem illum legimus lib. 1. de multiplici verborum differentia: *Pinſo, pinſas, pinſare, pinſo, pinſis, pinſere. Eſt apud Perſium ambiguum (O Jane ô tergo quem nulla ciconia pinſit) pinſit, an pinſat legendum ſit. Sed apud veteres reperimus n literam [al. editiones: a literam, peſſimè] additam & pinſit ſecundum tertium ordinem, ut Ennius decimo Annalium: Pinſunt ceram genibus &c.* Cedo mihi de iſtis barvaſculis & moroſis, qui locum habere rectè præſtare auſit. Hoc profectò facilè conjicias, docere voluiſſe Diomedem, alios pro *piſo*, addito n dixiſſe *pinſo*. Idque ut credant iſti facilius (hæc enim ſi doctis ſponte credituris perſuadere vellem, operam omnem luſerim) totum illum locum ſic ex membranis veteribus conſtituo: *Piſo, as. Et eſt apud Perſ. ambiguum* (O. *I. a. t. quem nulla ciconia piſat) piſat an pinſit legendum ſit. Sed apud veteres 2. n. l. a. pinſo quod eſt tundo, & pinſit ſecundum t. o. ut Ennius d. a. Pinſunt terram genibus.* Sed ecce dum unius Diomedis locum ſanare profiteor, Perſium

ſium & Ennium ſimul juvari ſentis & lætaris, ut ſocios labis ſic ſimul auxilii,.

Ut tres cum rapidi junctos tulit impetus amnis,
Unum qui ſervat, ſervat & ille duos,

velut magnus ille Auratus quondam de re non abſimili cecinit. Sed & ex veteribus gloſſis B. Germani idem verbum reſtitui potuit, in quibus legas: *Piſat*, πτίσσει. atque adeò *Piſo* eſt ex Græco πτίσω litera, τ, extrita, ut perna à Græco πτέρνη. Quod autem Divus Scaliger in ſuis ad Varronem notis *Piſere* antiquitus uſurpatum dicit, nondum inveni. Videndus porrò Turnebus libro Adverſ. 20. cap. 29. & lib. 28. cap. 11. Hæc cùm ſcribſiſſem, bona avi in Feſtum Scaligeri incido, ubi docet vir ille qui omnes docet, Piſare pro calcare veteribus uſitatum fuiſſe ex loco Senecæ apud quem *Piſatione* in veteribus libris ſcriptum repererit.

Epistula XVII.

ANTONIO RICCOBONO.

POſt edita nuper à me Veriſimilia, Antoni Riccobone, vir clariſſime, novos quinque priores Suſpectarum lectionum libros cœpi conſcribere. Et cùm ætate ſim adhuc tenera, judicio autem imbecillo, doctiſſimos quoſque viros, qui paſſim per Galliam & Germaniam literarum laude celebres vivunt, conſulere non erubeſco, ſuaque ſingulos epiſtula compellare ſoleo. Et nunc etiam cùm ſe mihi commodiſſima Patavium ſcribendi commoditas offerret, religio mihi fuit eam non ocius occupare, cùm præſertim de locis nonnullis Plautinis ad te judicem harum literarum & cenſorem acerrimum ſatis à me oportunè referri poſſe intellegerem. quare ſi literas illas politiores amas,

amas, quas tu jam multos annos notiſſima ingenii & dexteritatis tuæ fama profeſſus es, quid tibi de emendatiunculis hiſce noſtris videatur, ad me reſcribere non gravaberis. Ac principio quod viri docti inter deperdita ex Bacchidibus numerant verſum, qui ex illa fabula à Donato Hecyr. act. 3. ſcen. 1. ad hanc faciem laudatur. *Nam & ex mari timida ecce ego Pavitare.* Omninò ab illis diverſum ſentio, putoque Donatum cùm illa ſcriberet in animo habuiſſe verſum hunc ſcenæ primæ antepenultimum: *Nam ut in navi vecta es, credo, timida es.* BA. *aliquantum ſoror.* Ipſa Donati verba ſunt: *Pavere & timere & ad corporis & ad animi perturbationem veteres referebant.* Plaut. in Bacchid. *Nam & ex mari timida ecce ego pavitare, ægrotare, quia ſic horruiſſe ac palpitare venis.* Quæ ſane neſcio quid monſtri alunt. Servius quoque 1. Æneid. *Timor*, inquit, *pro frigore & frigus pro timore ponitur:* ut in Terentio: *Uxorem tuam pavitare ajunt, non timere ſed laborare frigoribus. Utrumque in unum exitum cadit, ſicut de calore & frigore urere dicimus.* Atque ſi quis in re tam crepera & incerta ſuſpicioni locus, ſuſpicer ex comparatione eorum inter ſe, quæ aliter à Donato adducuntur, quàm in noſtris libris ſunt, talem in Plauto lectionem conſtitui poſſe. *Nam & ex mari timida es credo pavidaque.* BA. *aliq. ſoror.* Cui addo locum non abſimilem ex Mercator. act. 2. ſc. 3. *Per mare ut vectus, nunc oculi terram mirantur tui.* Ex Pavitare feci pavidaque: Sic Milite in 2. mſſ. Ea te ſcriptum pro eaque. Pro, Ecce ego, feci: es credo ſicut g, pro d, ſæpius ponitur, ut in Arte Critica oſtendi. Scena ſequenti ejuſdem fabulæ in hoc verſu: *Vixiſſe nimio ſatius eſt, quam vivere.* Moneo claudicare numeros, idque unius dictiunculæ operâ, quam ex Camerariano manuſcripto repono ſic: *ſatiuſt jam quam vivere.* Et paucis verſibus interjectis

legò volentibus duobus ſcriptis libris: *ecquid in mentem eſt tibi patrem tibi eſſe?* Cum volgetur: *in mente eſt.* Sed haud dubiè ſcripta lectio præſtabilior, quam confirmat geminiſſimus locus Amphytr. ſcen.I. *numero mihi in mentem fuit. DIs advenientem gratias pro meritis agere atque alloqui.* Et eadem Amphytr. act. 2. ſc. 2. verſ. 79. *Qui iſtuc in mentem eſt tibi mi vir percontarier?* Sic enim ibi volentibus Muſis & adſtipulantibus liquidò Langianis membranis decus olim noſtrum Janus Guilielmus reſtituit. Eodem autem planè modo Caſin. act. I. ſc. 4. dixit, *Ubi in luſtra jacuiſti?* Sic Epidic. act. 2. ſc. 2. Cum vetuſtiſſimo Camerarii codice legendum adfero: *Nam ego illum audivi in amorem herere apud neſcio quam fidicinam.* Similiter Pœnul. act. 5. ſc. 4. ubi editum conſpicitur: *Patrue facito in memoria ut habeas tuam majorem filiam mihi te deſpondiſſe*, teſtor in duobus Camerarianis calamo deſcriptis libris extare: *in memoriam ut habeas.* quod ſine dubio à ſciolis interpolatum, quibus ignota elegans hæc loquendi ratio, qua Cicero, Salluſtius, Petronius, omnes denique libenter uſi, quod pluribus mihi declarandum putarem, niſi rem mihi viderem cum viro omnis elegantiæ antiquæ ſcientiſſimo, hoc eſt, tecum Riccobone, cui unam etiam correctiunculam examinandum mantiſſæ vicem ſubicio. Eadem nimirum fabula act.2.ſc.2.cum volgatur: *Sed tu quid factitaſti mandatis ſuper? PL. Egon' ut, quod ab illo attuliſſet nuncius; non impetratum id advenienti redderem?* Suſpicor pro illo attuliſſet, reponendum eſſe verbum minus proletarium, ex utroque Joachimi codice *attigiſſet.* hoc primum. deinde τὸ *quod* dictum eſſe, propterque,qua de re. ob locum qui huic plane geminus in Epidico act.I.ſc.2. *Quod ad me attinuit,ego curavi,quod mandaſti mihi,Impetratum eſt: empta ancilla eſt, quod tute ad me literas Miſſiculabas*,id eſt,

quam ob cauſam. Et ejuſdem Epid. ſc. ult. act. 3. *Animum advorte ut quod ad te venio intelligas.* Tertium quod heic moneo eſt, *ab illo nuncius* videri expreſſum, ſicut illud Lucretii: *fulgor ab auro*, pro auri, *Ceres ab Jaccho*, pro Iacchi, & Terent: *ab Andria eſt ancilla hæc*, id eſt, hæc eſt Andriæ ſive Chryſidis ancilla. Porrò eleganter *Nuncius tetigiſſe* vel *attigiſſe* dicitur, ut vel hac ipſa fabula act. 4. ſc. penult. ubi Piſtoclerus Mneſilochum, quem per nuncium ad ſe arceſſiverat, tamdiu abeſſe miratur: *Nam illud animus meus miratur, ſi à me tetigit nuncius, Quod remoratur.*

EPISTULA XVIII.

JUSTO LIPSIO V. CL.

MErito tibi, Juſte Lipſi eruditorum ocelle, Apulejus debet, qui eum cum Plauto pariter plerumque velut in re Latia inteſtabilem omnium calculo habitum, auctoritate tua in priſtinum honorem, manuſcripti quoque & ingenii tui operâ in ſuum nitorem poſtliminio reddidiſti. Et quando tanto auſu magiſtelli noſtri prætethac eſſe nequeunt, ut Plautum tuo, ut dixi, auſpicio reviviſcentem, tamquam certiſſimam Latinæ puritatis normam repudient; non adeo quoque Apulejo iniqui eſſe debent, qui omnia ferè indidem mutuatus eſt. quod ut poſt te alii docuerunt, ſic magis cottidiè operam eruditis ſedulò addentibus idipſum diluceſcet. Et quamvis ego nec ejus ſum ætatis, nec judicii, ut aliquantum eo nomine mihi Apulejus debiturus ſit, in eo tamen operam non omninò aſpernandam puto, quod quæ diverſimodis in cuſis & ſcriptis libris leguntur, indico. Et hodiè quidem ex lib. 10. de Aſino

hæc

hæc enotabam: *At juvenis nihil etiam tunc ſequius ſuſpicatus, ſummiſſo voltu rogat ultro præſentis cauſſas ægritudinis.* Ab optimo libro ſcripto particula, *tunc*, aberat: planè Plautinum in morem, ſi quid mei eſt de Plautina phraſi judicii. *Nihil etiam*, pro nondum. Infra: *Quibus protinus dignitatis jure conſueta loca reſidentibus, rurſum præconis vocatu primus accuſator intendit.* Ita Colvius tuus edidit, ſanè te, ut opinor invito. mihi certè temeraria nimis correctio videtur, cùm rectiùs in omnibus libris ſit: *accuſator incedit.* nec enim accuſator quicquam etiam intenderat, ut qui nihil verborum fecit. quod vel ſequentia vincunt: *Tunc demum clamatus inducitur etiam reus, & exemplo legis Atticæ, Martiique judicii, cauſa patronis denunciat præco, neque principia dicere, neque commiſerationem movere.* Videt quivis iſtic legendum: *incedit*; ſicut hîc reus inducitur, nec adhuc quicquam locutus. Sed calori optimi juvevenis nonnihil ignoſcendum. Paucis interjectis ſequitur: *Fidemque probationibus certis inſtrui, nec ſuſpicionibus tantam conjecturam permitti placuit.* Conſervavit mſ. vocem Apulejo non indignam: *ſuſpicationibus.* Eodem libro de ſe aſino Apulejus narrat: *Ut quod nollem relato, quod vellem rejecto capite monſtrarem.* Rectè mſ. *dejecto capite.* quippe hoc naturale eſt ut capitis dejectione voluntatem noſtram indicemus: cum autem caput reicimus, non morari illud videmur, de quo quæſiti fuimus. nec Colvio tuo aliter corrigenti auſcultandum puto. Ibidem, ubi narrat quàm carus domino fuerit aſinus: *Spretis luculentis illis ſuis vehiculis ac poſthabitis decoris prædarum carpentis &c. me ipſe reſidens &c.* Mſ. *præterhabitis*; quod placet pro contemptis, ut *ſubterhabere*, *inſuperhabere* eadem notione. amplius doctiſſ. Modius legit: *rhedarum carp.* & ſtatim: *Me phaleris aureis, & fucatis ephippiis, & purpureis*

 tapetis,

tapetis, & frenis argenteis &c. Mſ. *capitis.* nec nimis diſplicet ejuſdem Modii conjectura: *capiſtris.* Sequenti pagina: *Quatuor Eunuchi confeſtim, pulvillis compluribus ventosè tumentibus pluma delicata, terreſtre nobis cubitum praſtruunt.* Melius vet. cod. *praſternunt*, ſicut idem paullò poſt: *ſubſternunt*, non ſubſtruunt. De nefario ſui cum muliere nobili concubio: *Tam lucida tamque tenera, & lacte ac melle confecta membra, duris ungulis complecti.* Mſ. *diverſis ungulis.* quod non intellego, nec ideò tamen aliorum more tacere debeo, Uti nec in iis quæ ſequuntur: *Sed pietatis ſpectata juvenis, & matris obſequium; & ſororis officium religiosè diſpenſat: & arcanas domus venerabilis ſilentii cuſtodiam tradidit.* Sic variare manuſcriptum: *Sed ſpectatè præteritis juvenis & m. o. e. ſ. o. r. d. & arcana domus v. ſ. cuſtodiæ tradidit.*

EPISTULA XIX.

ISAACO CASAUBONO.

EOrum qui literas has ab humanitate nomen ſortitas colunt, nullus erit quin ſit malus, qui reticet ſi quid mutari vel corrigi pervorsè videt. quod cum mihi jamdiu ſuaſiſſem, bona cum bonorum & doctorum virorum gratia facere nonnunquam me arbitror, ut quod alius ante me condivit cocus, & ego nunc viciſſim alio pacto condiam. nec quemquam fore puto, qui meum hoc ſtudium, eatenus ut modeſtiæ fines minime tranſiliat, improbaturus ſit. non tu profecto is eris, Iſaace Caſaubone, cujus admirabilem in omni honeſta diſciplina perfectionem cum ſumma in homines maximè meæ ætatis humanitate numquam qui te amico uſi ſunt, ſatis prædicare poſſunt.

ſunt. Cujus etiam fiducia has ad te emendationes meas allegare auſus fui, ut ſi veræ fuerint, iis fundus tu ſis potior: ſin autem eventus conatui meo non venerit, tibi tamen viro in literis hiſce principi ſtudium meum quoquo modo probari volui. Sticho Sc. Salvete editur; *Salvete Athenæ, quæ nutrices Græciæ. Terra herilis patria, te video libens.* Viderunt quidem Lambinus & Douza poſteriorem verſum in ipſo frontiſpicio laborare, quare alter quidem mavolt: *O terra herilis.* hic autem ad Plauti genium accommodatius: *Ut terra h. p.* Cùm tamen mecum recogito nullam talem particulam in optimis quibuſque membranis comparere & ſcriptum etiam fuiſſe: *Terra erilis.* Suſpicio me ſubit relictum à Plauto fuiſſe. *Græciæ Terra, herilis patria te v. l.* nam facile fuit, ut in voce *Terra* poſtrema litera propter ſequentem *erilis* ab eodem elemento incipientem extrita fuerit, cujus exempla longè plurima cottidiè reperiunt, qui libros veteres verſant. Athenas itaque, herilem patriam, nutrices vocat terræ Græciæ, Terram autem Græciam quam venuſtè dixerit, ſi ego taceam ſeu loquar, ſcire te ſcio. Sic terram Arabiam Trinum. Sc. Huic ego. *Omnium primùm in Pontum advecti Arabiam terram ſumus.* Ita ibi cum duobus ſcriptis Camerarii codicibus haud dubiè legendum, cum volgetur: *advecti ad Arabiam t. ſ.* Notat Servius ad illud Virgilii, *Italiam fato profugus Lavinaque venit.* provinciis addi præpoſitionem ſecundum artem oportere. Ut autem ad priorem illum plauti locum revortar, eodem etiam modo Agellius lib. I. cap. I. *terram Græciam* dixit, niſi nos fallit manuſcriptus codex Giphanii, qui Indice ſuo Lucretiano pluribus exemplis phraſin hanc confirmat. Et quoniam ſemel audere cœpi, non diſſimulabo priori verſu veriorem mihi videri lectionem: *quæ nutrix es*

Gr. c. pro x, ſæpe poſitum Facit pro faxit docet ille qui omnes docet Joſeph. Scaliger ad Feſtum. Sic Sticho act. 3. ſc. 1. pro condixi in utroque mſſ. ſcriptum fuerat condici. Sc. Agite ite. eadem fabula: ubi ſervile illud convivium deſcribit. Sagarinus multis verbis & vi denique efficit, ut tibicen bibere vellet. qui ubi bibit ſic eum idem Sagarinus appellat: *Quid agitur? quamquam gravatus fuiſti non nocuit tamen.* quæ tamen verba frigidiuſcula mihi videri ſolent. quare cùm conjecturam egomet mecum facio, ſuſpicor legi hîc oportere: *Quid igitur? quamquam gravatus fuiſti, num nocuit tamen?* poſterius, quod *Num* pro non repoſui, à libris ſcriptis eſt. prius è ſuſpicione ad exemplum tamen Plauti, cui familiares hujuſmodi interrogationes: *Quid nunc? quid ergo? quid igitur?* Exemplis coacervandis operam nolo ſumere. illud tamen reprimere me nequeo quin admoneam eadem Sticho Sc. Eſt ita ſimiliter jubentibus membranis reſcribendum: P A. *Deos ſalutabo modò, poſtea ad te continuo tranſeo.* G E. *Quid igitur?* E P. *dixi equidem in carcerem ires.* ubi ſimiliter quaſi de compecto volgant libri. *Quid agitur?* Quæ verba immediatè ſequitur: G E. *quin ſi juſſeris. Eo quoque ibo.* P A. *Di immortales hic quidem vi ſumma in crucem cena aut prandio perduci poteſt.* G E. *ita ingenium meum eſt: Quicum vis depugno multò facilius quàm cum fame.* P A. *Non ergo is tu apud me, ſatis ſpectata eſt mihi jam tua felicitas.* Fraudi mihi nequaquam eſſe debet, ſi quod ſaluti fore ſpero, id conſuadeo. Verſus ultimus ſuſpectus eſt mihi de menda, cum ab ſe, quod nullum commodè ſenſum ex ſe parit: tum quod in duobus manuſcriptis reperi: P A. *Non ego iſti? tu apud me.* Ego niſi me conjectura fallit legendum opinor: *Num eguiſti tu apud me?* quaſi dicat Pamphilippus: Satis jam diu apud nos te ſuſtentaſti

ſtentaſti & ventrem curaſti tuum. jam te ad alios porrò abire par erat; ſatis jam video quàm tu nobis felicitati fueris, ut nimirum dum ego & frater hic meus inſatiabilem illum profundum tuum paſcimus, nos interibi rem noſtram confringeremus. Perpetuum ferè librariorum peccatum, *Num* pro *non*, & *Non* pro *num* ſcribillandi. Sic Menæch. act. 4. ſc. 2. *Potin' ut mihi moleſtus ne ſis? non te appello.* rectiùs & irati adfectui exprimendo convenientius, quod libri ſcripti nobis exhibent: *num te appello?*

Epistula XX.

MARQUARDO FREHERO JURISCONS.

RECtè Cæſarius vidit, in Diomede principium præfationis ad Athanaſium mendosè ſcriptum eſſe. Sed quæ ille mutat & ex Plinio adfert ſunt ἀπροσδιόνυσα. Quando itaque volgant: *Artem meræ Latinitatis, puræque eloquentiæ magiſtram ſub incudem literarum faciliter procudendo formatam, humanæ claritatis: hanc cùm cognoviſſem excellentem facundiam tuam plurimi facere, deſiderio tuo libenter indulgens &c.* & quando Cæſarius pro, *hanc*, reponit. *lucem*: tu mecum Frehere Nobiliſſ. ita corrigere non dubitabis: *incude literaria dociliter procudendo formatam humanæ ſolertiæ claritas expolivit: Hanc cùm cog.* Sequitur in eadem præfatione: *Eſt enim lucubrationis induſtria, ſtudiique collatio tripertita, ut ſecundum trinæ (mſ. trin) ætatis gradatim legentium ſpatia lectio probabiliter ordinata crimen prolixitatis evadat, tædiumque demulceat; quæ quidem tribus diviſionibus, quamvis parvula ſit, tamen in ſingulis ſuam retinet integritatem.* Pro *Ordinata* lege *Ordita* volentibus

membranis. hoc primum; deinde ex iiſdem lego: *quamvis patula ſit, tamen in ſingulis ſuam continet brevitatem.* Satis pro Diomede eleganter. *Patulum* vocat copioſum, longum, & amplum, quodque latè pateat. Gloſſarium vetus: *Patulum* ἐκπέταλον. In fine præfationis illius editur: *Quod tanto maximè rudibus præſtare cognoſcimus: qui ruſticitatis enormitate culti ſermonis ſauciant, immò deformant ad amuſſim normatam orationis integritatem.* Etquis verò non ſaucietur verborum horum inſenſu? & membranis gratia: quibus ita jubentibus pareo legoque lubens: *Quo tanto maximè r. p. cognoſcimur. q. r. e. incultique ſermonis ordine ſauciantur, immò d. examuſſim n. o. i.*

EPISTULA XXI.

LUDOVICO CAMERARIO JOACHIMI FILIO.

Ne ego quid faciam nunc potiſſimùm, Ludovice elegantiſſime, admodumquam incerto ſcio; fortunam accuſem dum utrique noſtrum licuit, minimè tamen nos copulare voluerit, an de tua diuturna illa cunctatione conconquerar, qua quid & quando meis ad te literis reſpondere velis etiamnum cogitas. Ego ſane, ut jam inde à principio dixi, cui præcipuè iraſcar non habeo, niſi quod utrumque ſatis mihi moleſtum experior. Rurſus non tam fortunam, quæ occaſionem olim amicitiæ noſtræ condendæ ſatis probam, ſi eam occupare voluiſſemus, oſtendit incuſandam, quàm tuam Camerari indiligentiam exagitandam cenſeo. Tot jam menſes eſt, cum eas à me, quibus tuis reſpondi, literas accepiſti, ac tu interea ne mu quidem Lucillianum ad Schoppium tuum

tuum remittere auſus es. nam quod tu ſalute per amicos dicta ſic te mihi ſatisfacere poſtules, minus illud mea referre puta, quàm ſi jocum quis mortuo ad ſepulchrum dicat. quare niſi volumen jam pro epiſtula miſeris, non aliter me tibi tranquillum futurum exiſtima. Quod cum ad te perſcripturus eſſem, eadem opera quid tibi de his caſtigationibus Plautinis videretur ſciſcitari volui. Prologo Mercatoris editur. *Vidi ego facere amatores qui aut nocti, aut die, aut Soli, aut Lunæ miſerias narrant ſuas.* Verſu priore admoneo *Dii* legendum eſſe, quod idem eſt cum volgato *diei*: ipſe à Servio admonitus, in cujus ſchedis hæc reperi ad illum I. Æneid. verſum: *Munera lætitiamque* DEI. *Non nulli*, inquit Servius, *Dii legunt, ſicut veteres fames fami.* Plautus in Mercatore. *Quia aut* (*leg. qui aut*) *nocti, aut dii, aut ſoli, aut lunæ.* Eodem Prologo fere extremo: *ſed dum in portu ibi ambulo hoſpes me quidam agnovit, ad cenam vocat.* Leve quidem eſt, ſed non propterea tacendum tamen pro *Ibi* cum utroque avi tui Camerarii Magni codice legi debere *Illi.* quod alii adverbium eſſe docuerunt pro *Illic*, ut *Illim* & *Iſtim*, pro illinc & iſtinc. Sic & Pœnul. act. 5. ſc. 4. in iiſdem libris ſcriptum fuerat: *Si tibi illi non os oblitum eſt fuligine.* Similiter Menæchmis ſc. antepenult. iiſdem auctoribus legendum: *Ego ibo ad medicum: præſto ero illi, cum venietis.* videndus Lucretianus Index. Scena prima verſ. 75. *Ubi eam vidit?* AC. *intus intra navim, uti prope adſtitit, Et cum ea confabulatus eſt.* Placet valdius, quod in altero manuſcripto veſtro ſcriptum eſt. *uti prora adſtitit.* Sequitur enim ibidem: *Neque quiſquam hominem conſpicatus eſt, donec in navi ſuper.* Paullò poſt: *poſtquam adſpexit mulierem, Rogitare occœpit cujus eſſet.* CH. *quis reſpondit?* AC. *illico occucurri, atque inter-*

interpello, *matri te ancillam tua Emiſſe illam.* Pro *cujus* in altero libro fuit, *cui.* placet Rittershuſii ſententia, *cuia* legentis. & ita verſus erit Trochaicus ſicut ceteri hujuſdem ſcenæ. Cuia mulier, ut Cujum pecus. Sic Rudent. act. 1. ſc. 4. *Quænam vox mihi prope hic ſonat?* In mſ. Quianam vox. veriſſimè & ibi Rittershuſius: Cujanam. Bacchid. act. 4. ſc. 9. Atridæ duo verſ. 24. *Is Helenam abduxit, cui cauſſa nunc facio obſidium Ilio.* Acutiſſimus Simeo Boſius, *cuis cauſſa* pro cujus malebat. Sed legendum *cuia cauſſa* cum membranis Camerarii. Sed haud dubiè legendum cum utroque mſ. *quid reſpondit?* Senex enim ut apparet, ipſam mulierem compellavit: quæ ne imprudens quid reſponderet, quod non ex re Charini foret, ſervulus interpellat. Act. 2. ſc. 1. *Ad portum hinc abii mane cum luci ſimul, Poſtquam illic quod volui transegi, atque ego conſpicor navem ex Rhodo, qua heri eſt advectus filius.* Quid ad portum ſeni tranſigendum fuerit negotii, excogitare nequeo. Putabam enim ſenem non alia de cauſſa ad portum vidiſſe, quàm ut de reditu filii quid cognoſceret. quare prorſus legendum cum duobus mſſ. *Poſtquam hic id quod volui.* Verſu uno interjecto ſequitur. *Adſcendi in lembum, atque ad navim advehor.* Quis doctorum non aliquid ſibi de verbo veteri *Eſcendere* dicendum putavit? quod cum idem eſſet quod *Adſcendere* ſæpiſſimè depravatum eſt. Idem hîc reſtituendum eſt, ſiquidem alter manuſcriptus legit: *Eſcendi in lembum.* Gloſſæ veteres: *Eſcendit* συμβαίνει. Legendum fortè, ἐμβαίνει. Quod eſt contractum ex ἀναβαίνει. Infra eadem fabula act. 5. ſcen. 4. verſ. 90. *Jam in currum conſcendi, jam lora in manus cepi meas.* in uno mſ. diſertim ſcriptum fuit, *eſcendi*, in altero, *veſcendi.* non ſine litura tamen principialis literæ. Sic ſcriptum fuit in Trinum. Sc. Huic ego. in duob. mſſ.

Eho

Eho an etiam in cœlum eſcendiſti? Et Amphitr. Sc. concedite. *Atque illuc ſurſum eſcendero.* Sequitur ſcen. 2. act. 3. Ly. *Tun' capite cano amas, ſenex nequiſſime?* De. *Seu canum, ſeu iſtuc rutilum, ſeu atrum eſt amo.* Manuſcriptis veſtris gratia; quorum opera nimio elegantiorem hîc lectionem conſtituo: *Si canum, ſeu iſtuc rutilum, ſive atrum eſt amo.* *Si* pro ſive elegantiſſimum noſti. Capteiv. act. 1. ſc. 2. *Sinito ambulare ſi foris, ſi intus volent.* Curcul. ſc. 1. *Si media nox eſt, ſive eſt prima veſpera.* Sic ex manuſcripto veſtro itidem legendum Ciſtell. act. 3. ſc. Rem elocuta. *Tu nunc, ſi ego volo, ſeu nolo, ſola me ut vivam facis.* Et Sticho act. 3. ſc. 1. *Here ſi ego taceam, ſeu loquar, ſcio ſcire te.* ita enim legunt duo membranacei codices. *Ennius: Si vivimu' ſive morimur.* Plaut. Rudent. act. 4. ſc. 7. *At ego Deos quæſo; ut quicquid in illo vidulo eſt, Si aurum, ſi argentum eſt; omne id ut fiat cinis.* Lucill. *Si irati, ſeu cui propitii ſunt dii.* Sed redeo ad noſtram Mercatoris ſcenam; in qua ſenex vicinum ſuum rogat ne ſe objurgare aut ſuccenſere velit, quod ipſus cano capite amare occœperit: *Neſcis? ne objurga. hoc non voluntas me impulit.* Legebam: *Ne ſis me objurga.* more Comico. cùm reperi poſtea Gulielmium in eadem fere ſententia. legit enim: *Ne ſis, ne objurga.* Utrum tibi, Ludovice ingenioſiſſime, vero ſimilius videatur ex te ſtudeo cognoſcere. Bene vale, & me ama.

EPISTULA XXII.

V. CL. JACOCO MONAVIO JURISCONS.

Commodum ſuperius caput concluſeram; cùm ecce tuæ mihi literæ ab amiciſſimo noſtro Ritterſhuſio redduntur amanter & humaniter perſcriptæ, ut quibus potiſſimum verbis gratias tibi agam non inveniam. Etſi autem nimis malè formido, ut quantum tu amore quodam mihi tribuis, ſuſtinere queam, gratiſſimum mihi tamen accidit, ab eo amari & laudari, quem omnis eruditorum natio amat laudatque. Nec DEUS illud umquam ſinat, ut pro ignoto Monavius ad me ſcribat. nam quî ignotus eſſe poteſt, quem admirabilis eruditio, virtus ſingularis, & artiſſima cum Lipſio denique & aliis ævi noſtri viris principibus amicitia in immortalitatem jam olim adſeruit? Ego ille verè ignotus, vel certè repentinus, pulchrè me diſcedere arbitrabor, cui tuum, Monavi, amorem & quàm non operam tam prolixè obtuliſti. Cujus ut jam primum experimentum faciam, age juva me amabo in his Mileſiarum fabularum locis. Libro ſecundo extremo lepidè nobis Apulejus deſcribit, ut errore Fotidis in aſinum fuerit converſus: inter cetera verò hæc ſunt: *Nec ullum miſera reformationis video ſolatium, niſi quod mihi jam nequeunti tenere Fotidem, natura creſcebat.* In veteri codice reperi, *miſera formationis.* Num tibi Calchas fuiſſe, Monavi, videor qui conjecerim: *miſer reformationis*? Sententia profectò ipſa hoc poſtulare & ſcriptura libri veteris me quaſi manu ad hanc lectionem conſtituendam ducere videtur. Sequitur non multò poſt: *Denique agnito ſalutari præſidio, pronus ſpei, quantum extenſis primoribus pedibus*

bus adniti poteram, inſurgo validè. In eodem illo manuſcripto reperi, *attenio*, quod fortè melius fuerit. Attendit nimirum & advertit Apulejus jam aſinus factus, ſi roſas illas dereptas deglutiſſet, de jumento ſe in Lucium rediturum. Et ſtatim poſtea: *Et ſtatim telum aliquod quærens invenire, faſcem lignorum poſitum offendit: rimatuſque frondoſum fuſtem cunctis vaſtiorem &c.* Locum quæſo ipſum, ſi operæ tibi erit, Monavi doctiſſime, paullo diligentiùs examina; nec improbabis, ſat ſcio, ſcripti libri ſcripturam: *Quæritans omnem faſcem lignorum poſitum, aſcendit.* Nec ita multò poſt de latronibus qui compilatis Milonis ædibus omnes ſecum gazas avecturi, non niſi gerulis deſtituuntur, & ad extremum ſarcinas omnes Apulejo aſino jam facto duobuſque ejus ſociis imponunt. *Sed geſtaminum modus numerum gerulorum excedit. Tunc opulentiæ nimiæ nimio ad extremas incitas deducti, nos duos aſinos & equum meum productos è ſtabulo, quantum poſſunt, gravioribus ſarcinis onerant.* In quibus tamen verbis vel oculatiſſimos quodammodo cæcutire oportet. Nam quomodo illi latrones ſpoliis Milonianis ditati ad extremas incitas deducti videri queunt? Si quidem ad incitas deductus interpretibus veteribus Grammaticis id ſonat, quod ad paupertatem redactus. Me ſane extricare hinc nequeo, niſi veteris libri lectionem ſequar hujuſmodi: *Tunc opul. nimiæ ad extremas metas deducti*.

CASPA-

CASPARIS SCHIOPPI, FRANCI, SUSPECTARUM LECTIONUM LIBER SECUNDUS.

Epistula I.

Ampliſſimo & nobiliſſimo viro

MARCO VELSERO,

R. P. Auguſtanæ Conſuli.

DE monumento illo, cujus Romæ ſuperiore anno effoſſi ſpeciem ad nos miſiſti, vir præſtantiſſime, ingentes tibi gratias habemus. Sed quod meum quoque ſuper iſto judicium, adulterinumne videatur, exquiris; adgnoſco vel in hoc quantum tibi de me præter omne meum meritum polliceris. Ego verò ingenuè apud te profiteor, nec me, nec quemvis alium, qui unâ ætate ſit, de iſtiuſmodi antiquitatibus veri aliquid judicare poſſe; illis præſertim, de quibus ipſe tu veriſſimus, præter ceteros omnes, illarum æſtimator dubitare ſoles. Quare talium exiſtimationem tibi potiſſimum, & paucis aliis ætatis noſtræ viris delegamus. quæ vos inveneritis, nos minores veſtros poſtea amplecti & admirari par erit. Interim, ne planè ſim aſymbolus, pro judicio ſuper lapidibus veteribus, mitto nunc judicium de locis quibuſdam Plautinis;

nis; quod nimis velim tuo quoque confirmetur. Trinum. S C. *Sta illico.* Cum Lyſiteles Lesbonici ſororem ſibi ſine dote deſponderi poſtulaſſet, hic veritus civium convicia, ſi ipſe, qui omne patrimonium præter unicum etiam agrum degularat, ſororem nunc pauperem in matrimonium collocaret; officio ſuo convenire autumat, ut eundem illum agrum ſorori in dotem det; aliter volgi rumores malos numquam ſe vitare poſſe. Lyſiteles ex altera parte & ſibi famam ſuam curæ cordique eſſe autumat, qui ſi agrum illum accipiat, verendum eſſe, ne Lesbonicus jam inanis exul urbe profugiat, ejuſque fugæ cauſſa avaritiæ ſuæ adjudicetur. Sic itaque Lyſiteles: *Scio ego & ſentio ipſe quid agam, neque à me officium migrat, Nec tuis depellor dictis, quin rumori ſerviam.* In Camerarii codicibus: *neque m̄ ſe officium migrat.* Quod reſolvo: *neque meam ſe o. m.* eamque lectionem veriorem puto. Migrare active pro mutare novum non eſt, ſed volgo tamen minus tritum. Lucret.

Nec manet ulla ſui ſimilis res; omnia migrat,
Omnia commutat natura & vertere cogit.

Cic. 1. de divin. *Credo, ne communia jura migrare videatur.* Sic Agell. *Atque ita Caſſita nidum migravit & ſeges à domino demeſſa eſt.* S C. *Ut mihi rem.* Callicles cum Megaronide conſultat, quid filiā Charmidis abſentis, quam frater ſine dote deſponderat, fieri oporteat, an ei dotem dare, an verò adventum patris Charmidis opperiri æquum ſit. Dubitat de poſteriore Megaronides. Nam, inquit:

Nunc ſi opperiri vis adventum Charmidis,
Perlongum eſt, huic ducendi interea abſceſſerit.

Quæ verba Lambinus verè mutila eſſe vidit & deſiderari aliquid, ut *voluntas.* Virgini interea, dum ipſe

ipſe venturus eſt, abſcedet voluntas ducendi. Vel Lyſiteli abſcedet voluntas eam ducendi. quæ tamen interpretatio locum heic nullum habet. nam Lyſiteles eam ſibi jam ſine omni dote deſponderat, nec audire de dote quicquam volebat. Giphanius noſter maluit: *ducendi materia abſceſſerit.* quod tamen ſententia, ut dixi, reſpuit. nam vel abſente patre virginis, & ſine dote, Lyſiteles eam ducturus fuit. Sanè locus eſt difficilis. Vide quid mihi ſub calamo modò natum eſt; legendum puto: *huic ducenti interea abſceſſerit*, id eſt, dos, de qua modò dixi, abſcedet interea Lyſiteli puellam ducenti. Nam dixerat ante Megaronides: Si virgini dotem dederis ex pecunia quam tibi pater ejus clam concredidit, dicent omnes

Datam tibi dotem, ei quam dares, ejus à patre
Ex ea largitari te illi, neque ita, ut ſit data incolumem te ſiſtere illi, & detraxe autument.

Subjungit: *Nunc ſi operiri vis adventum Charmidis, Perlongum eſt, huic ducenti interea abſceſſerit.* Vides itaque ad dotem referri debere. q. d. ſi opperiri voles tantiſper dum veniat Charmides, hic interea illam indotatam duxerit. Aliud etiam modò mihi in mentem venit, ſi fortè magis probaturus ſis. *hinc ducenda interea abſceſſerit.* interea dum tu adventum patris præſtolaris illa, quam ducere volt, hinc ex ædibus tuis in domum mariti abibit. Nam *materia* Giphaniana certè planè hinc aliena eſt & contrarium potius intellegit Megaronides. Eadem ſcenâ verſus ultimus mutilus & aſteriſco notatus legitur:

Tu iſtuc age, M E. *actum reddam*, *

qui ut fiat perfectus ſenarius, facere nequeo, nam librorum Camerarianorum auxilium imbecillum eſt, qui ſic nobis exhibent: *actum reddam nugaces*

ſunt

ſunt niſi. aliquid eum de nugis dicere, vero ſimile eſt, quia abit ſycophantam vel nugatorem conducturus, de quo alter ſenex ſuperius dixerat: *Quamquam me hoc ætatis ſycophantari pudet.* Scio te, Velſere præſtantiſſime, quod me ames, ſoleaſque meas eſſe aliquid putare nugas: quâ fiduciâ quid de loco hoc nugatus fuerim, apud te explicabo. Putavi itaque legendum *actum reddam, nugas ſum, niſi*: Niſi tibi hoc impetratum & effectum lepidè dedero, nugas ero. Puto pro *Nugas* ſcriptum fuiſſe: *nugax.* quia iſta duo idem ſunt. Pro *nugax* alius poſtea: *nugacs* ut alibi apud Plautum *meres* & *mers* pro merx. Ex *nugacs* factum hoc quod vides *nugaces*, ſicut alibi ex *mercs*, *mercis.* Teſtatur autem Chariſius & Priſcianus, veteres dixiſſe, hic, hæc & hoc Nugas. Gloſſæ: *Nugas σαπρὸς, ἀσελγὴς. Item: σαπρὸς, nugatorius, nugax fœdus.* Sic Carrion in quodam Varronis loco reſtituit: *Quod ſi Actæon occupaſſet, & ipſe prius ſuos canes comediſſet, non nugas ſaltatoribus in theatro fieret.*

EPISTULA II.

JANO DOUSÆ FILIO.

IN Diomede pergemus nonnulla, etſi fortè leviuscula, enotare. De verbis Inchoativis & Iterativis libro primo legimus: *Item adeo, adis. Hoc iteramus Adito, aditas dictitantes. Item Ineo, inis, & Inito dicimus.* Sed poſt, *dictitantes*, reponenda è v. l. *Ut Ennius: Ad eum aditavere: Item Ineo &c.* Pauculis interjectis ſequitur volgò: *Cn. Atticus xx. Iliados: Ille hietans herbam moribundo ore. Item Cælius: Sequere me tu qui mihi oſcitans hietansque reſtas.* Sed ita manuſcriptum: *Gn. Attius xx. I. Ille hietans herbam moribundo tenuit ore. Item Cælius. Sequere me*

peri hercle tu qui m. o. h. q. reſtas. Et infra eodem libro de inflexione verbi *Edo : Cicero de Oratore ad filium : Lepus multum ſomni fert, qui illum edit.* Cicero profectò de Oratore nihil ad filium, neque hæc omnino verba ſcribſit. quare Catonis nomen reponamus. *Cato* enim de Oratore ad filium præcepta ſcribſit; ex quo libro hoc laudat Seneca : *Orator eſt, Marce fili, vir bonus, dicendi peritus.* Nonius eum librum vocat *præcepta ad filium.* Eodem libro de verbis inchoativis : *Choaum enim apud veteres mundum ſignificat.* Et potuiſſe etiam tam illuſtre mendum tam diu fallere! Omnino expulſo illo monſtro verbi legendum, *Choum.* quod & Iſaacum Caſaubonum virum viris in variâ doctrinâ principibus ævo noſtro adnumerandum ſenſiſſe, tum demum vidi, cùm ejus ad Suetonium appendicula dono Jani Philippi Parei lectiſſimi adoleſcentis in manus meas perveniſſet. Ibidem editur : *Tranquillus quoque his aſſentiens libello ſuo pleniſſimè adem inchoatam ita diſſeruit.* Quid ea lectione, quam in veteribus ſchedis reperi, fieri debeat, neſcio. Doceant alii, & in iis tu quoque Jane Douſa, docte docti patris ſuboles. Ea verò eſt talis : *Tr. q. h. aſſentiens : Jam bello ſuo pleniſſimè edere inchoata diſſeruit.* Sed & heic videnda maximi Caſauboni Appendicula. At quod in Diomede ſequitur : *Sanè dixerunt veteres ſimulat per u. Hoc etiam Cicero de repub. Quaſi &c.* committere non poſſum, quin indicem lectionem interpoſitis illis, quæ adhuc omiſſa fuerant, hoc modo conſtituendam : *ſimulat per u. hoc eſt, ἰμῆτι ut Cicero de r. p. Q.*

EPI-

Epistula III.

ARNOLDO HELIO
Middelburgenſi Flandro,
Sereniſſ. Archiduci
MAXIMILIANO
à Secretis.

Commodum ampliſſimo Velſero de Plauti loco nugari deſieram, cùm ecce doctiſſimus Rittershuſius veſtri Carolidæ Farraginem Symbolicam mihi mittit, in qua cùm alia mihi placuerunt, tùm odâ tuâ & epigrammate pellecto mirificè recreatus ſum. At pol propitias tibi Muſas eſſe oportet, qui iſtic inter circumſtrepentium armorum tumultus ea ſcribere potes, quæ nos otioſi & poëtarum lectioni ac interpretationi impalleſcentes admiremur. In quibus cùm manifeſtarias Plauti, Lucretii aliorumque veteris & melioris monetæ ſcriptorum imitationes videam, rectè & ordine facturus mihi videor, ſi quæ Plauto emaculando hodie de libro meo deſcripturus fui, tibi arbitranda proponam. Trinummo S C. *Huic ego.* in colloquio illo Sycophantæ & Charmidis lepidiſſimo: cùm Sycophanta Charmidis nomine, quod ferè oblitus diu ſecum agitaverat, tandem invento, ut fit, male eidem imprecatus fuiſſet, eò quod tam diu ſibi in labris primoribus vorſatus eſſet ab ſene, ut amicis parcat, admonetur. Verba ſunt:

Satin intra labra atque dentes latuit vir minimi pretii?
Ch. *Ne male loquare ei præſenti amico.* Sy. *quid ergò ille ignaviſſimus*
Mihi latitabat? Ch. *Si appellaſſes, reſpondiſſet, nomine,*

 Verſum

Verſum poſtremum ſic interpunxi. ſenſus enim eſt: ſi nomine ipſum appellaſſes, reſpondiſſet. aliter jocus frigebit. Sed verſu medio rectiſſimè cum mſſ. correxero: *Ne male loquare abſenti amico.* Eadem Sc. pergit nugator de ſuo itinere, quod ſe cum Charmide feciſſe fingit.

CH. *Eho an etiam in cœlum eſcendiſti?* SY. *imo horiola advecti ſumus,*
Uſque aqua advorſa per amnem. CH. *eho an etiam vidiſti Jovem?*
SY. *Callicli iſſe ad villam ajebant ſervis depromptum cibum.*

Verſu ſecundo in mſ. codice fuit: *ante etiam.* Unde Rittershuſius: *amne etiam.* Verſu tertio deleo Callicli nomen & repono; *Charmidi iſſe ad vil.* nam ſeſe cum Charmide profectum fingit, qui cùm quæſiviſſet, domi ne eſſet Jupiter reſponſum fuit, eum ad villam abiviſſe. Sequitur ibidem:

Si hunc poſſim illis mille nummis Philippeis circumducere,
Quos ſibi me dediſſe dixit ——

Reſcribo ut in duobus codicibus exſtat:

Si hunc poſſum illo mille nummûm Philippo circumducere.
Quod ſibi me d. d.

Mille nummûm, quod elegantius eſt ſed protritum minus & hîc loco depravando fuit & paullò poſt: *numeratum illius in menſa manu Mille nummos*, ubi ſimiliter ex altero mſ. Legi debet. *mille nummum.* Eâdem ſcenâ ex iiſdem libris lego: *Dum ille ne ſis, quem ego eſſe nolo, ſis mea cauſſa qui lubet.* Eadem ſcena locum paullò longiorem adſcribam, ut duas inde maculas eluam, ſi tanti videbitur:

Abi hinc ab oculis. SY. *enimverò ſerò quoniam advenis,*
Vapulabis arbitratu meo & novorum ædilium.

CH.

CH. *An etiam maledicis?* SY. *immo ſalvus quandoquidem advenis.*

Di te perdant ſi te flocci facio, an periiſſes prius.

Ego ob hanc operam argentum accepi, te macto infortunio.

Sed enim tu qui ſis, qui non ſis, floccum non interduim.

Verſu tertio in manuſcriptis fuit: *At etiam maledicis?* quod verius eſt & irato convenit. Sic Captiv. *At etiam furcifer male mihi loqui audes?* Verſu poſtremo iidem libri habebant: *Sed erum.* Puto veriſſimum eſſe ſi legamus: *Ceterum tu qui ſis &c.* Eâdem fabulâ Sc. *Quid hoc.* ST. *Nihil eſt mora?* CH. *nihil. ambula. actutum redi.* In duobus ſcriptis libris: *moraeii*: Unde rectiſſimè Rittershuſius. *mora?* CH. *i, nihil.* Sequenti ſcena quæ eſt prima act. 5. inducitur adoleſcens Lyſiteles nimiâ lætitiâ delibutus ob deſponſatam ſibi Charmidis filiam, & ſoceri adventum ſui, ſeque ipſum demonſtrans exclamat:

Hic homo eſt omnium hominum præcipuis voluptatibus gaudiisque anteponendus.

Ita commoda quæ cupio eveniunt.

Verſum priorem ſic ex membranis conſtituo: *Hic h. e. o. h. præcipuus, volup. gaudiisque antepotens.* quamvis in altero codice depravatum fuerit in, *anteponens. Antepotens gaudiis* itaque dixit, quaſi antepollens, præ reliquis omnibus pollens gaudiis. Sicut *Pietate potens* apud Propertium pro maximè pio, *Muneribus Veneris potens.* Horat.

EPISTULA IV.

JACOBO MONAVIO JC. V. CL.

VEniam ceſſationi meæ dabis ſanè diuturnæ, Jacobe Monavi, cave enim credas quicquam mihi literis tuis tam humanis jucundius eſſe potuiſſe. atque ego tibi, quem ſcio his nugis meis apprimè delectari, alteram nunc epiſtulam in Apulejum offero; quarum verboſitate tarditatem priorem facilè compenſabis. Libro XI. de Aſino lego ex mſ. *Ibi ſimulacris deûm rite diſpoſitis, navem faberrimè factam &c.* Et infra ſcriptum in eodem fuit: *Alacres ad fanum reditum capeſſunt ſervili ritu pompa decori.* Ejuſdem eſt & hæc lectio paullò pòſt de Apuleji cognatis: *Repentinò latati gaudio verè quiſque munerabundi, ad meum feſtinant illico diutinum reducemque ab inferis conſpectum.* *Diurnum*, id eſt, in diem lucemque, ut Modius eruditiſſimus explicat. Indidem lego paullò pòſt. *Tantoque circumſpectu vitam, qua multis caſibus ſubjacet, eſſe muniendam. Tanto* pro magno; ſicut *Tam* pro valdè, uti me docuerunt duo Galliæ lumina, Barn. Briſſonius & Pet. Faber. Pagina ſeq. *Sic anxius & in proventum proſperiorem attonitus, templi matutinas apertionas opperiebar.* Semper ſuſpicatus fui & heic legendum: *attentus.* Statim: *Supplicamentis ſolemnibus de penetrali fonte petitum ſpondeo libat.* Mſ. *dea penetrabili.* Ibidem mſ. legit: *Summiſque precibus ſummarium ſacerdotem ſapiſſimè conveneram.* Eodem libro: *Partim nodoſis, & in modum rota tortuoſis; capreolatimque condenſis apicibus &c. Mſ. campolatim.* Eſt poſtea de initiatione ſua: *Tunc ſemotis procul profanis omnibus, linteo & rudi me contectum amicimine arrepta manu ſacerdos deducit.* In mſ. *procul proſcinis omnibus.*

omnibus. Unde Modius : *proximis.* quod nulli adfuerint profani, ſed ſoli initiati. Deinde mſ. legit : *linteo undique contectum.* Infra de habitu & ornatu ſuo : *Sic ad inſtar ſolis exornato & in vicem ſimulacri conſtituto, repente velis reductis in aſpectum populi errabam.* Mſ. *Solis adornatum* &c. *populus errabat.* Corrigo : *Sic ad inſtar ſolis adornato me, & in v.ſ.c.r.v.r. in adſpectum populus errabat.* In ejuſdem præcibus ad Magnam matrem Deûm : *Tibi reſpondent ſidera, gaudent numina, redeunt tempora, ſerviunt elementa.* Mſ. *Sidera, tempora redeunt minima, ſerviunt* &c. Immediatè ſequitur : *Tuo nutu ſpirant flamina, nutriuntur nubila, germinant ſemina, creſcunt germina.* Scribo cum ♥. l. *creſcunt gramina.* Ibid. *Romam verſus profectionem dirigo, tutuſque proſperitate ventorum ferentium, Auguſti portum celerrimè, ac dehinc carpento pervolavi.* Hic locus non leviter mihi de menda ſuſpectus eſt, cùm quod manca videtur oratio, tum quod mſ. legit *hauxi portum.* volgati: *hauſi portum.* Et quid ſi volgatam ſcripturam amplectamur ? *Hauſi portum,* id eſt, occupavi, in portum perveni. Velut apud Patronium *Libare limen*, eodem ſignificatu. Poſtea : *Nunc tantas cerimonias aditurus, impœnitendæ te pauperiei contaris comitem ?* Mſ. *contaris conjectore ?* quod & ipſum quale ſit neſcio, cogitabunt alii ingenioſi & minùs, quam nos ſumus, occupati : in quorum gratiam multa libris hiſce inſperſimus, ceterorum quoque copiam cuivis petenti boni publici ſtudio libentiſſimè communicaturi. Bene vale, Vir præſtantiſſime, & me, quod te facere ſcio, ama.

EPISTULA V.

Inl. & generoſo adoleſcenti,

GUILELMO VENCESLAO,

Baroni à Rupa.

SIne dolo dicam tibi; Venceſlaë nobiliſſime; ita me nuper Ambergæ mirâ morum ſuavitate & ingenuitate tuâ, amore tui perfudiſti, ut numquam eum niſi cum vita pariter mihi depoſiturus videar. neque hoc meum ſolius de præclarâ indole tuâ judicium eſt, ſed omnium, qui vel primori conſpectu, vel familiariter etiam te noverunt. facilè enim te ex probo illo, modeſto, & pudico ore, quorum eâ de re eſt judicium, conjectare ſolent. Utinam autem mihi diutius eſſe tecum licuiſſet, tuiſque jucundiſſimis conloquiis porrò quoque perfrui. neque tu non idem, ſat ſcio, voves; ſiquidem omnium illorum convictum, quorum opera tibi ad uberiorem ingenii cultum utilis eſſe poteſt, avidiſſimè expetere ſoles. Sed quia ſic illi viſum, qui ſupra nos rebus noſtris curat, ne omninò te ex animo meo effluxiſſe ſuſpicareris, hæc noſtra Plautina ad te mittere volui; quæ tu, non dubito, leges cupidiſſimè, vel quia me amas, vel quia quantus ſit ſcriptor Plautus, quamque miſere depravatus, non ignoras. Pœnul. act. 5. ſc. 2.

Et te moneri nonne vis? POE. *ſane volo.*

In Camerarianis manuſſ. *numne vis.* malo: *num ne vis?* An non vis te moneri? *Ne vis* pro non vis. Ne volt pro non volt. *Ne* enim antiquis pro Non uſurpatum noſti. Et eodem actu ſc. 4. ſcribo:

Nunc quod boni mihi di danunt vobis voſtraque matri,
Eas dis aquum eſt gratias nos agere ſempiternas.

Priore

Priore verſu ſcribſi *danunt*, pro dant. quia ſic diſertim in altero Camerariano fuerat; in altero Danint, quod certò te ſcio ſcire antiquum & probum eſſe. Sic Rudente act. 3. ſc. 1. *Miris modis di ludos faciunt hominibus, Miriſque exemplis ſomnia in ſomnis danunt.* Verſu poſteriore malui, *nos* quam, *vos*. nam quia mihi, vobis, voſtræ matri bona dederunt ſuperi, æquum eſt nos gratias agere. Video nunc fatum eſſe hujus epiſtulæ, ut quædam antiquitatis notæ reſtituantur. Nam dum in meo Plauto pergo, invenio, quod jam olim ex veteribus libris adnotaveram ad ſc. ultimæ verſum 5. *Ubi nec leno, neque illa redeunt, nec quod edam quicquam datur.* Legendum, *quod edim.* Sic enim veteres dixiſſe jam olim docuerunt complures eruditi viri ex Nonio Marcello. ſic Horat. Edit pro edat: *Edit cicutis allium nocentius.* Eâdem ſcenâ Anthemonides miles indignatus quod amica ſua patrem ſuum hominem Carthaginenſem, & longâ tunicâ indutum, amplexa teneret, quippe amatorem aliquem ſuſpicans, ſic eam ab hominis muliebroſi (ut ipſe opinatur) complexu abſterrere conatur: *Heus tu tibi dico mulier, ecquid te pudet? Quid tibi negotii autem eſt cum iſtoc, dic mihi.* Sed longè venuſtiùs cum Camerarianis legemus: *cum iſtac.* ut ſic Pœnulum tamquam mulierem, mulieroſum certè & mollem, appellet. quale illud convicium in Trojanos 8. Æneid.

Et tunica manicas & habent redimicula mitra.

O verè Phrygia (neque enim Phryges) ite per alta &c.

Et Atys juvenis apud Catullum jam eviratus ad comites ſuos: *Sectam meam exſecuta, duce me, mihi comites.* Nunc eò ventum eſt, Venceſlaē nobiliſſime, ut imperitiæ multam nullo planè modo evitare poſſim. Siquidem doctiſſimus Lipſius cùm ejuſdem ſcenæ verſus duos poſtremos proponeret:

AG. Rapiamus in jus. POE. *minimè.* AG. *quapropter.* POE. *quia.*
Injuriarum multo induci ſatius eſt.

de ſua & Caroli Langii ſententiâ (vel notione Cenſoriâ) omnibus illis imperitiæ multam indicit, qui non Lipſianam lectionem amplexari velint, ut nimirum legamus: *Injuriarum multam dici ſatius eſt.* Enimvero quem me cumque tamdem antument, ſi indoctum, ſeu imperitum, numquam tamen hercle deterrebor, quin volgatam lectionem (quæ & in membranis omnibus apparet) rectè habere exiſtimem. nam quod dicere volebam, *Induci* pro accuſari ut Græcis ἐνάγεσθαι dictum, apud quos ἐναγωγὴ quoque pro accuſatione uſurpetur, id jam à Mureto indicatum video: illud non item, quod addam. Ludit Pœnulus in verbis, Rapere, & Inducere. Dixerat adulescens, rapiendum ſibi lenonem in jus videri, diſſuadet Pœnulus, ſibique conſultius videri ait, ſi ducatur. cui non abſimilis ille Epidici locus:

TH. *Minus furtificus jam ſum, quam antehac,*
EP. *quid ita?* TH. *rapio propalam.*

EPISTULA VI.

REIMARO SELTRECHTO JURISCONS.

APud antiquos hoc verbum (præſtat) pro melius eſt ponebatur; aut pro antecedit. Raro præbeo ſignificat. nam in ea ſignificatione præbeo potius dicebant. Verba hæc ſunt Diomedis Grammatici libro primo, quæ tamen ſi legas, optime & doctiſſime Reimare noſter, jure dicas quod ille apud Euripidem:

οὐδέν τι μᾶλλον οἶδ'· ἄσημα γὰρ λέγεις.

Scire

Scire enim ſtudes, quæ fuerat illa ſignificatio, cur præbere maluerint veteres, id profectò numquam vel admotis fidiculis exterebrabis. Lege itaque ex vet. libro: *Apud ant. h. v. pro melius eſt p. a. p. antecedit, aut ſuperat. Nam in dandi ſignificatione prabeo potius dicebant.* Omnis verborum illorum ſumma, *Præſto* rarò ſignificare, do, vel, præbeo. Leve nunc eſt, quod addam; ſed addendum tamen, paullò nimirum pòſt, cùm de verbo *Amicio* agit, legendum: *Brutus in laudatione Appii Claudii: Qui te togâ pretextâ amicuit.* Quæ verba immediatè volgò ſequitur: *Sed Varro ſceleris magiſter amiſit.* At longè aliter in ſchedis veteribus legitur: *Sed Varro in Cinoſtretore Calerius mater amixit.* De quo doctiores deliberare velim. Verba quoque Ciceronis quæ poſtea de verbo *pungo* ſubicit hoc modo in v. l. leguntur: *Intellexi quid eum pupugiſſet.* Et non ita multo poſt de verbo *ſancio* diſſimulare nolim cum v. l. legendum: *Pomponius ad Thraſeam.* non, ut ante, *Tharſeam.* Sed non in eo ſitæ opes Græciæ, dicet mihi aliquis. Fateor; officii tamen mei ratio exigit, nihil eorum, quæ in ſpectatæ fidei membranis diverſimodis lecta mihi ſunt, reticere. Similiter lectionum variantiam ſubiciam, ubi de verbo *Adoleſco* diſputat. Editur itaque: *Adoleſco adolevi facit. Nam Virgilius ſic declinat. Mox cùm matura adoleverit ætas. Tamen Adolevi vult quidam in ſacrificio dici & venire ab eo quod eſt Adoleo. Sed in ſacrificio Accius Caſſiùs ad Tiberium ſecundo Adolevit dixit: Maximum ſacrificium ubi integrum anſerem adoleverit.* Etſi autem hanc manu exarati codicis ſcripturam ſtudioſis proponam: *Sed & in ſacrificio Acc. C. a. T. ſ. a. dixit. Sic eſt contra Ægyptiis Maximum ſacrificium &c.* minimè mihi tamen ipſe ſatisfecero: ſiquidem totum locum paullò diligentiùs rimanti videbatur Diomedes probare ſeu docere voluiſſe, in

in ſacris non ſolùm *Adolevi*, ſed & *Adolui* uſurpatum, contraquam alius neſcio quis ſentiebat. Atque ita quidem de conjecturâ reſcribendum exiſtimabam, cùm ecce in Priſcianum incido, qui divinationem meam planè confirmat: cujus hæc ſunt ferè ſub calcem libri noni: *Virgil. in xij. Mox cum matura adoleverit ætas. Varro tamen etiam adoluit protulit in 3. Rhetor. Poſtquam adoluerit hæc juventus. Caſſius ad Tiberium 2. At contra Ægyptios* (mſ. Egyptos) *ſacrificium, ubi integrum anſerem adoluerunt.*

EPISTULA VII.

JOHANNI PASSERATIO JURISCONS.

UTinam, clariſſime Paſſerati, quod jam diu nequiquam voveo, votum meum recipiens aliquando DEUS adjuvet, mihique det coràm, quam omnes eruditi certatim prædicant, virtutem, eruditionem & humanitatem tuam prorſus ſingularem, in re præſenti experiri! nec enim alius in me eſſe poſſes, quàm qui in quosvis tui virtutumque tuarum ſtudioſos eſſe ſoles, meque ſine dubio ac ſtudia mea prudentiſſimo conſilio aliquo recta confirmares: aliter; corrigeres. quod tamen vel ſic abſenti præſtabis, meas in Plautum correctiones judicio tuo ſubactiſſimo exigens. Eorum quæ in Pſeudolum hodie notabam, nonnulla heic ob eam, quam dixi, cauſſam ſubicere viſum fuit. Act. I. ſc. 2.

Apage ſis quantum negotii in muliere una eſt.
Si verò dua, ſat ſcio, maximo uni
Populo cui lubet plus ſatis dare potiſſunt.

Verſu ſecundo fugerat ſciolorum inficetiâ elegans particula, quam membranarum beneficio nunc reduco;

reduco; legoque: *ſed verò dua.* Sic Cicero Verina ſeptima: *O præclarum imperatorem, nec jam cum M. Aquilio fortiſſimo viro, ſed verò cum Paulis, Scipionibus, Mariis conferendum.* Sic Lucret. libr. 4.

Non homines ſolùm, ſed verò animalia cuncta.

Eâdem ſcenâ: *Nam pro herili noſtro quæſtu ſatis bene exornata ſumus.* In Mſ. *pro heri licet noſtro.* Unde veriſſima ductus conjectura Rittershuſius meus: *pro herili & noſtro.* qui poſtea quoque hoc verſu: AG. *Eunt hæ. quid ſi adeamus?* MI. *adeas.* AG. *primum prima ſalva ſis.* maluit extrito in medio Milphionis & Agoraſtoclis nomine:

—— quid ſi adeamus ad eas? primum pr.

Eadem illa Sc. admoneo inter verſum 176. & 177. hæc in altero Camerariano interjecta: *Hujus ſalus amœna, hujus feſtivitas,* quæ quomodo in verſum rectè reſtituantur, alii viderint, tu præſertim vir doctiſſime, qui tuas in Plautum notas jam diu eſt quod debes. Sc. quartâ. AN. *Auſculta.* LY. *non hercle.* AN. *immo jam elidam caput niſi auſcultas.* Manuſcriptus uterque: *tum jam elid.* Lego. *tuum jam el. c.* Act. 3. ſc. 4.

Foras egreditur, video lenonem Lycum.

Placet quod in altero Camerariano reperi: *egredier video.* Scena ſequenti quinta, de aruſpicum vanitate ſecum leno diſputat:

Qui in re divina dudum dicebant mihi
Malum damnumque maximum portendier,
Is explicavi meam rem poſtillà lucro.

Vide verius ne ſit, quod mihi in mentem fuit, magiſque Plautinum: *Cui in re.* nam *Is* & *qui* ferè ſemper apud Plautum ſibi reſpondere ſolent. Sic Epid.

Quid

Quid illum ferre vis? qui tibi cui divitiæ domi maxima
Sunt, is nummum nullum habes, nec ſodali tuo in te copia eſt.

Et Aulular.

Qui ſimulavit mei honoris mittere huc cauſſa coquos,
Is ea cauſſa miſit, hoc qui ſurriperent miſero mihi.

Et Mercatore Sc. Summe ego. *Promittebas te os ſublinere meo patri; ego me credidi Homini doctorem mandare, is lapidi mando maximo.* Sic Bacchidibus act. 1. ſc. 2.

Quem ego ſapere nimio cenſui pluſquam talem,
Idem ſtultior es barbaro Potitio.

In membranis: Is ſtultior es. Sed invitis metri legibus, niſi verius eſt: *Is ne ſtultior es.* Sic Accius Bruto:

Proin vide, ne quem tu eſſe hebetem deputes æquè ac pecus,
Is ſapientia munitum pectus egregium gerat.

Ceterum illud exiguum eſt, adde etiam dubium, ſed non item quod eadem ſcena paullò poſt legendum ajo:

Væ voſtræ ætati. AD. *id quidem in mundo eſt tuæ.*

cùm ita in veteribus membranis perſcriptum ſit, quod ſcioli non intellectum more ſuo depravarunt & ſubſtituerunt: *id quidem nunc eſt tuæ. In mundo*, Plauti proprium pro ad manum & ut dicimus in promtu. Atque hoc ſic ſcriptum apud Douſam F. poſtea quoque reperi. Act. 4. ſc. 2.

—— *ſed ego nunc nil eſt, cur me morer.*

In ſcriptis libris: *Sed ego nunc eſt cum me mor.* facilis eſt correctio *non eſt cur me morer.* Nunc, pro non, ſæpius ſcriptitatum. Sequitur: *Nam & hoc nocte conſulendum, quod modo concreditum'ſt, Et illud autem inſer-*

inſerviendum'ſt conſilium vernaculum. Suadebat animus ut reſcriberem : *hoc nocte occulendum*, id eſt, tacendum illud quod mihi ſub fide ſilentii creditum eſt, non enunciandum, ſicut contra in lucem proferre. Deinde corrigebam : *docte conſulendum.* Quod poſtea apud Gulielmium vidi, & à Douſa omiſſum fuiſſe ſatis mirari nequeo.

EPISTULA VIII.

V. CL. JOHANNI POSTHIO FRANCO,

Poëtæ laureato & Archiatro Palatino.

CUm cæterùm plurimis nominibus tantum clariſſ. Rittershuſio noſtro debere me intellegam, quantum nato nemini ; tum vel hoc uno plurimum debere profiteor, quod non ipſe ſolùm maximo me ſemper & ſincero amore complectitur, ſed quos ipſus inſuper variis in locis amicos habet, mei quoque amantiſſimos eſſe cupit. Etſi autem vehementer gaudeo & laborum meorum fructum uberrimum conſecutus mihi videor, dum ejus operâ, velut pararii, perfectum eſt, ut me in multorum clariſſimorum virorum amicitiam receptum ſentiam : eo tamen unicè & præcipuè mihi gratulatus fui, quod tibi ſingulari Franciæ noſtræ ornamento, viroque apud exteras etiam nationes celeberrimo ſtudia mea non leviter approbavi. quod quidem eo vehementius me adeptum lætor, quo ardentiùs & diutiùs in eam cogitationem incubui. nunc igitur adfectum illum in me tuum amoris & benivolentiæ plenum haudquaquam mutabis, ſi quidem te ipſum, hoc eſt ſingularem humanitatem tuam cum parti eruditione

tione conjunctam minimè mutare potes. Idem quoque, ut ſpero, eris in cenſendis iis quæ ex Apulejo tibi offero. Libro IV. ubi narrat latronum unus ſuum de expilandis numularii ædibus conſilium. *Ergo placuit, ad hunc primum ferremus aditum, ut contempta pugna manus unica, nullo negotio cunctis opibus otioſè potiremur.* Sic Colvius in mſ. ſuo diſertim legi teſtatur, nec aliter in Bertiniano optimo codice viſitur. quamvis velim ſententiam hujus loci ſatis obſcuram Colvius illuſtraſſet. *Contempta* vitioſè ſcribitur, quamvis Giphanius in Lucretio ſuo reclamet, cùm verior ſit orthographia, *contemta.* Puto itaque ſcribſiſſe Apulejum *contenta* ex quo alius *contemta* fecerit. Sic ergo locum explico; conſtitueramus, ut Lamathus anteſignanus noſter, utpote robuſtiſſimus, fores ſublevaret & dimoveret, ut ita hac pugnâ, quæ unius manu contenta eſſet, & unius operâ finiri poſſet; cunctis opibus potiremur. Contentum alicujus rei pro aliqua re, non puto à Latio abhorrenter dici, quamvis nullum ſit in mundo exemplum ſimile. Atque ecce Claudius Juriſconſ. ita locutus eſt. l. 37. §. nuptura. in fin. D. de leg. 3. Quoniam in his expreſſit, ut contentus eſſet partis dimidiæ dotis. Eamdemque Syntaxin ex Fuldanis mſſ. Modius noſter Juſtino reſtituit lib. 42. Scythæ autem contenti victoriæ depopulata Parthia, in patriam revertuntur. Sequitur de Alcimo latrone, ut perfracti tugurioli cubiculum ſuperius conſcenderit, indidemque quæ repererat ſociis ſuis præ foribus præſtolantibus rapienda diſperſerit: *Maluit rerum ſingula per latiorem feneſtram forinſecus nobis ſtilis rapienda diſpergere.* In quibus verbis non ſemel riſi ariolationem Colvii, juvenis ſanè eruditi, qui mendi non malè locum ſuſpiciens, *pilis* pro *ſtilis* reponere præoptavit. & Pilas interpretatur haſtas, quas latrones

erexe-

erexerint, ut Alcimus veſtimenta & id genus alia ex alto in eas conjiceret, latronibus ſic rapienda. Ridicule! nam cur non in terram potius deſuper deiceret? an fortè periculum erat, ne ſi numero haſtis veſtimenta iſta non configerentur, forſan avolarent? Nugæ! Verius, quod ego divinavi in *ſtilis* ultimam literam per, z, fuiſſe ſcriptam ſicut ſæpius ſ, & z invicem commutarunt. z, autem pro, *cet.* Sicut apud Plautum in utroque Camerarii libro ſcriptum fuerat, *addem* pro *addecet.* quia nimirum, m, pro z, ſæpiſſimè ſcriptitatum, ut Lambinus in Lucretio admonuit. Et ibi quoque *addez* pro *addecet.* Pro *ſtiliz* itaque vel *ſciliz* legendum: *ſcilicet.* Atque hoc adeo verum eſt, ut contra ſi quis ſentiat, nihil ſentiat. In eadem narratione: *Verens ſcilicet ne & ea quæ prius miſerat, quæque poſtea miſſurus foret, non ſociis ſuis, ſed in alienos lares jam certus erroris abjiceret.* Quòd hæc duo, *jam certus*, mendoſa ſint, certus ſum. corrigo: *incertus erroris.* hoc eſt, ut qui neſciret ſe errare. nam ſi de errore certus fuiſſet, non periclitabundus ſe feneſtra ſuſpendiſſet. Sequitur: *Quod eum ſtrenuè quidem, & ſatis improvidè conantem.* corrigebam: *at ſatis improvidè.* Et poſteriùs de urſa mortua: *Ejuſque probè nudatum carnibus corium ſervatis ſollerter unguibus* &c. Scribo cum v. l. *Solerter totis unguibus.* Sequenti pagina: *Sciſcitati nomen cujuſdam Nicanoris, qui genere Thracio proditus jus amicitiæ ſummum cum illo Demochare colebat.* In mſ. reperi: *productus.* quomodo Producere liberos, ſubolem, apud Plautum, Horatium, alios. Vide Nonium; qui tamen pueriliter Producere explicat, inſtituere illo Terentii verſu: Seni animam primùm exſtinguerem ipſi, qui illud produxit ſcelus. Paullò pòſt: *Hoc genus beſtiæ lucos conſitos, & ſpecus roridos, & colles frigidos & fontes amœnos ſemper incubare.* non enim

incubant fontes, ſed occubant. quare corrigo volentibus ſchedis veteribus, *calles amœnos*. Poſtea: *Miſerum funeſtumque ſpectatum adſpexi, Thraſyleonem noſtrum catervis canum ſævientium cinctum atque obſeſſum*. Spectatum pro ſpectaculum retinet Colvius: at ego putabam: *funeſtumque ſpectatu*, id eſt, viſu. quomodo Latini ſæpius loquuntur.

EPISTULA IX.

PAULLO MELISSO FRANCO.

IGitur reabſe demum experior, Meliſſe, quàm non catè in ſe conſulat, qui ſe quorumvis tenebrionum falſis verbis acceptorem eſſe poſtulat. Simul enim eruditiſſimus Rittershuſius noſter literas mihi tuas, qua de me erant, oſtendit, amoris & ſtudii pleniſſimas, & mendaciſſimos eſſe deprehendi, qui mihi neſcio quæ de averſâ voluntate tuâ ſubinde ſubiciebant, & me verò fatuum, qui curioſorum ejuſcemodi & nationis noſtræ oſorum rumuſculis tantum credere ſuſtinui, ut ſingularem illam eruditionem tuam vel minimâ invidiâ conjunctam eſſe exiſtimarem. Sed ut me falſum ibi fuiſſe gaudeo, ita non poſſum non dolere, quòd ſuſpicionibus illis præpeditus, laborum meorum curſum minus continuare potui. nec enim dubito, quin, ſi hoc tempore amicitiam tecum per literas coluiſſem, variis ex bibliotheca veſtra libris manu deſcriptis adjutus eſſem. Haberem fortaſſe ſcriptum Propertii exemplar, quod me in adornandis ejus Poëtæ Commentariis multo labore ſublevaſſet. Sed quia factum fieri infectum nequit, maximopere te vir doctiſſime rogatum volo, ut ſi me non de nihilo in Propertio illuſtrando ſategiſſe exi-
ſtimabis

ſtimabis (operæ autem in illum meæ ſpecimen in Veriſimilibus dare volui) me in reperiendo bono aliquo libro ſcripto juves. Interea ſententiam tuam ſuper his Plauti locis à me tentatis erogare volui. Sticho S C. Quisnam obſecro.

Ge. *Salve, tuo acterſitu venio huc.* Pa. *ean' gratia fores effringis?*

Ge. *Tuos inclama, tui delinquunt, ego quid me velles viſebam,*

Nam equidem harum miſerebat.

Non diſplicet doctiſſimi Rittershuſii noſtri conjectura: *Nam me quidem.* fores autem intellegit, quas puer pulſaverat ſeu arietaverat verius. Paullo poſt in conloquio heræ cum puero Dinacio:

Pa. *Quid agis?* Di. *quid agam, rogitas?* Pa. *quid ni rogitem?* Di. *quid mecum eſt tibi?*

Pa. *Men' rogas, propudioſe? eloquere propere Dinacium.*

Unde hæc ſit lectio, equidem neſcio, niſi quod non eſſe à libris ſcriptis ſcio. nam Camerariani quaſi de compecto legunt: *Mihi in faſtidis propudioſe?* Levis eſt, ſed vera correctio noſtra: *Mein' faſtidis propudioſe?* Faſtidire alicujus eſt faciem ſuam ab aliquo velut ignoto vel indigno avertere. Aulul. act. 2. ſc. 2.

Abiit, neque me certiorem fecit, faſtidit mei.

Lucillius:

Triſtes, difficiles ſumu' faſtidimu' bonorum.

Adducit etiam Nonius verſum Titinnii ex Pſaltria: *Dicis tu quaſo, quo te avortiſti? mei faſtidis, mea delicia?* Sed in aliis libris editur: *Dic tu quaſo.* Non dubito verum eſſe: *Dic ſis tu.* quomodo & Rudente act. 4. ſc. 4. pro eo quod volgant libri:

Facias aurum ut videam, poſt ego faciam ut videas ciſtulam.

cum in duobus libris reperiſſet: *Facis aurum &c.* veriſſimâ conjecturâ ductus Rittershuſius, *Fac ſis* legendum cenſuit. Similiter Capteiv. act. 2. ſc. 2.

Facis homo ut redimatur? Ty. Faciam ſed te id oro Hegio.

In aliis editionibus & mſ. quoque Camerarii eſt: Fac is. conjeci: Fac ſis homo. Sic Caſin. act. 3. ſc. 5.

Numero dicis, ſed hoc quicquid eſt loquere, in pauca refer.

Rectiſſimè correxit Gulielmius tuus: *Numero dic ſis & hoc* &c. non invitis membranis. Sed redeamus ad Stichum noſtram. pergunt ibidem hera & puer colloqui.

—— PA. *ecquid apportas boni?*
DI. *Nimio impertior multo tanta plus quam ſperas.*
PA. *ſalva ſum.*

Timidè conjecturas meas ſcriptorum librorum auctoritate deſtitutas proponere ſoleo, ſed quia tamen audendum ſemel eſt, nec ego quicquam propterea in textu mutari volo, fraudi mihi non erit, quid ſenſerim, indicaſſe. Suſpicatus itaque fui commodius legi: *Nimio imperitior mulo; tanto plus q. ſ.* Quæſiverat hera, num etiam aliquid boni à portu apportet, reſpondet puer; ne tu hera inſcita es nimis, quæ roges quidem, an aliquid boni ad te renunciem, at ego non aliquid, ſed nimio plus, quam ſperare auderes, adfero. Non valde è recepta ſcriptura lectio hæc commentitia abibit. Sic quoque Ciſtellar. act. 4. ſc. 2. volgatum & in membranis ſcriptum fuerat:

Sed nonne ecaſtor ego ſum multo inſcitior, hos qua rogem.

cùm tamen nemo non veriſſimè à Gulielmio emendatum videat: *mulo inſcitior.* ſolebant hoc nomine per convicium homines ſubidi & ſtipites appellari. Catull. *Mule nihil ſentis.* Act. 4. ſc. 1. cum adficto

ſibi

ſibi è re feſtivo apologo ſenex Antipho generis ſuis declaraſſet ſatis, velle ſe ut fidicinam ſibi quicum noctu cubaret & nequam faceret, cedere vellent, ſubicit Pamphilippus:

Dabitur homini amica, noctu qua in lecto accendet ſenem.
Namque edepol aliud quidem illi, quid amicâ opus ſit, neſcio.

Enimvero iſtud *accendere* non intelligo ſatis, niſi forte putet Pamphilippus Antiphoni tamquam ſeni decrepito amicam juvenculam nullo uſui eſſe, niſi ut eum complexu ſuo foveat & calefaciat, quod Davidi Regi factum ex ſacra hiſtoria didicimus. Accendere ergo non erit hîc libidinem alicui concitare, ſed verò corpus ſenile & egelidum fovere ac concalfacere. Sed quod in altero manuſcripto exſtat, *accentet*, me ferè, ut aliud quid comminiſcerer, induxit, nec ſcio ſatis, utrum *attentet* legi debeat. Eſt autem *attentare* propriè nihil aliud, quam manu blandè contrectare. Et hoc modo diceret Pamphilippus non ſe videre quid ſeni amicâ opus eſſet, niſi quæ ipſum, ad ceteras amoris artes exareſcentem & oppidoquam Acherunticum, blandè contrectando fricandoque nonnihil recreare poſſit.

EPISTULA X.

JOHANNI BAPTISTÆ FABRICIO JC.

VEriſimilium meorum exemplum à Rittershuſio meò tibi donatum, gratum & acceptum à te habitum fuiſſe gaudeo: ſed multò tamen gratius mihi fuit, quod de reperiendis illis

libris ſcriptis mihi polliceris. cujus ut te admonerem, hanc epiſtulam, flagitatorem velut minùs oportunum, hinc amittere ad te volui. Libro quincto Apulei de aſino aureo edidit nobis Colvius: *Nos, quarum voces accipis, tuæ famulæ, ſedulò tibi præminiſtrabimus: nec corporis curatæ tibi regales epulæ morabuntur.* Sed in eo juvenem illum Epidemico (ut magnus ille Caſaubonus vocat) Criticorum morbo laboraſſe puto, ut nimirum, ſi quam dictionem raram, aut loquendi rationem minùs protritam in ſcriptore aliquo repererunt, eamdem ubi ubi poſſunt inculcent & inferciant. nam mihi hîc loci vetus lectio tolerabilior omnino videtur: *nec corporis cura, nec tibi regales epulæ morabuntur.* Sequitur in Apulejo: *Sorores jam tuæ mortis opinione turbatæ, tuumque veſtigium requirentes, ſcopulum iſtum protinus adiêre.* Sed falſum hoc nec ulla ſororum etiam ad ſcopulum acceſſerat, quare corrigendum, legendumque: *protinus aderunt.* pro ad ſcopulum erunt. Solent enim veteres præpoſitiones nominibus ademptas verbis adjungere, ut jam aliis admonitum eſt. Sed nos tam levibus aliorum curæ relictis, ad illum potius deſperatum & depoſitum à noſtris in Criticis locum convortamur: *Sic allocuta, ſummas opes domus aureæ, locumque, ſervientium populoſam familiam auribus earum, lavacroque pulcherrimo & in humanæ menſæ lautitiis eas opipare reficit.* Ad hæc ita commentatur Colvius: Non eſt integer ſatis hic locus. Beroaldus tentat reſtaurare legens, *locumque oſtendit, ſervient &c.* Ego aliud quod dicam non habeo. Hæc ille, ut hominem modeſtum & ingenuum par eſt, non ad exemplum quorundam, quibus ſuper loco difficili tacere, id eſt ſcriptorem totum illuſtraſſe. Mihi verum videtur, ut qui ſcriptorem aliquem edit, omnia, unde ſe expedire nequit, loca ingenuè

nuè indicet : eamque rationem in Symmacho, Servio, Propertio aliiſque quos denuo edam ſcriptoribus ſervabo. Si quidem mihi ſæpius uſu venire memini, ut in locum aliquem difficilem inciderem, cujus illuſtratio, quod ab eo omiſſa eſſet, cujus ea officii fuerat, dubitare neceſſe habui, an non ea omnia ſint facilia; à me autem homine ſtupido, non nimis certè ingenioſo, comprehendi nequeant. Sed interdum comperi, iiſdem illis interpretibus vel editoribus aquam heſiſſe, ſed ne ingenii laudem amitterent, ſicco pede & tacitè transmiſiſſe. ne autem aliis ex me idem incommodi eveniat, in omnibus meis libris, quæ non intellego ſincerè ſemper indicabo. Sed quò ego nunc abii? Apulejo nunc curandum ſcilicet, non novis interpretibus. Gruterus itaque, illud noſtrum delicium libro ſuſpicionum 7. capite 4. ſic tentavit medicinam facere : *Sic allocuta, exſinuat opes domus aurea oculis, ſervientium populoſam familiam auribus earum.* Acutè profectò & audacter, quomodo in magno morbo fieri oportet. Sed meliùs docenti idem ille amicus noſter facile parere didicit : quare volente veteri libro legamus : *aurea, vocumque ſervientium populoſam familiam auribus earum demonſtrat, lavacroque &c.* nam voces famulas ſuperius non ſemel dixerat, quamvis, ne quid mentiar, illud, *vocum,* ex ſagaciſſima Franciſci Modii conjectura, quam ad oram libri ſui, quo utor, adſcribſerat, repoſuerim. qui vir ita cottidiè vigiliis ſuis adjuvat, ut ingratiſſimus meritò appellari merear, ſi vel minimum, quod ipſius acumini debetur, mihi per crimen falſi adjudicare ſuſtineam. Non hoc, inquam, noſter faciet Scioppius, ſed ſuum cuique religiosè, antiquum obtinens, reſcribet. In Apulejo ſequitur : *Nec tamen Pſyche conjugale illud præceptum ullo pacto temerat, vel, pectoris arcanis exigit.*

Scribo ex libro veteri: *pectoris arcana exigit.* Paullò pòſt: *En orba & ſæva & iniqua Fortuna! hiccine tibi complacuit, ut utroque parente prognata, diverſam ſortem ſuſtineremus.* Non etiam quorundam more, omnia amicorum communia exiſtimantium, Rittershuſio meo ſuum heic eripiam, qui rectiſſimè corrigit: *ſiccine tibi c.* quomodo & paginâ præcedenti legendum fuit: *Siccine mihi pollicebare, Pſyche mea?* Similiter inferius: *Nil aliud reperies, mi ſoror, quàm vel mendacium iſtam peſſimam feminam confingere, vel formam mariti ſui neſcire. Quorum utrum verum eſt, opibus iſtis quamprimum exterminanda eſt.* Palmaria eſt Rittershuſii mei unici emendatio: *utrum utrum eſt.* pro utrumcunque, ut qualisqualis pro qualiſcunque, ſic ubi ubi, quantusquantus. *Eſt*, pro verum eſt. Cic. in Lælio: Sunt iſta, Læli. non enim melior vir fuit Africano quisquam, nec clarior. Et I. Acad. Tunc ego, ſunt, inquam, iſta. Varro: Eſtne hoc, quod dico?

EPISTULA XI.

ABRAHAMO ORTELIO V. CL.

PErſuaſit mihi clariſſimus Camerarius, Abrahame Orteli vir præſtantiſſime, ut te pro humanitate tua ſuper negotiis meis diligenter curaturum exiſtmarem. Ceterum quia mihi ſpiſſum nimis viſum fuit, exſpectare tantiſper dum tuæ ad nos literæ remitterentur, tanta viarum intercapedine à vobis diſpretos: hanc alteram meam ad te epiſtulam interim perſcribere volui: ſed minus importunam, minuſque, quàm prior erat, procacem. nec enim heic quicquam tibi negotii cum aliis mea cauſſa faceſſo, quamvis cupidiſſime

omnia

omnia pro me exſequaris, tantum hæc Plauti loca à te viro admirabili eruditione prædito perputari cupio. In Pſeudolo pauca etiamdum reliqua in meo libro videbam, illud præſertim quod minimè tacendum fuit S C. Malus & nequam. verſum penultimum ſic edidere noſtrates Critici:

Si graderere tantum, quantum loquere, jam iſſes ad forum.

incuſat Harpax lenonis ſpiſſigradiſſimam tarditatem, quem autumat nimiò in loquendo, quàm ad trapezitam eundo (unde viginti minas ſolvere debeat) tardiorem eſſe. Sed vel hinc æſtima, vir doctiſſime, quàm minimâ maculâ maxima ſæpe venuſtas ſententiæ decedat. nam ibi quidem ſi (quomodo olim conjeci & manuſcriptis poſteriùs confirmari vidi) legamus: *jam eſſes ad forum*: multò ſententia erit argutior. Sciolis gratia, qui eum nobis locum corruperunt, Plautinæ dictionis ignari, in quo ſæpius Ad forum, ad portum pro apud forum, apud portum reperias. Sic iſtoc verſu Rudent. prolog.

Mali res falſas qui impetrant apud judicem.

Probo Rittershuſii conjecturam, qui ne verſus ruat metuens legit: *ad judicem.* Cic.ad Attic.lib.10. commodum ad te dederam literas de pluribus rebus, cùm ad me bene mane Dionyſius fuit. Plinius in epiſt. *Ego quoque ad me habeo decretum provinciæ.* Sæpius autem peccatum in eo, ut *Eſſe* & *Iſſe* invicem commutarent. velut hoc Apuleji loco Apologia ſecunda, ubi de privigno ſuo Pontiano loquitur, qui quas primùm nuptias inter Apulejum & matrem ſuam Pudentillam conciliaverat, eas poſterius ex ſummo ſtudio impedire voluit. Sic verò Apulejus: *Confiteor enim, quod mihi objectum eſt, eum, poſtquam uxorem duxerit, à conſpecta fide deſciviſſe,*

viſſe, ac derepente animi mutatum quod antea nimio ſtudio feſtinarat, pari pertinacia prohibitum eſſe: denique matrimonium noſtrum ne coaleſceret, quidvis pati, quidvis facere paratum fuiſſe &c. Veriſſima eſt emendatio, quam ad oram codicis ſui, qui penes me nunc adſervatur, doctiſſimus Modius deque meis ſtudiis præclariſſime meritus adnotavit: *prohibitum iſſe.* nam & hoc inciſum ad Pontianum referri debet, ut, deſciviſſe & paratum fuiſſe. *Ire prohibitum* pro velle prohibere, qualia illa Plauti: Aliena ire ereptum bona. Amanti ire opitulatum, Ire habitum alicui honorem. Sed rurſum ad Pſeudolum noſtrum redeo. Scen. ultima verſ. 1.

Vox viri peſſumi me exciet foras. ſed quid hoc? quo modo? quid video ego?

Non ſic de nihilo, opinor, in Camerarianis legitur: *Quid tu video ego?* putoque particulam *Tu*, iſtic loci retinendum, velut alibi quoque interponi ſolita eſt, ut docuit me Gulielmius noſter, noſtræ ocellus Germaniæ: Epid. Liberare quam volt amator. quis tu is eſt? inquit altera. Terent. Eunuch. *tam infandum facinus mea tu ne audivi quidem.* Sequitur eadem ſcena:

Ba. *Non audes quæſo aliquam partem mihi gratiam facere hic argenti?*

Ps. *Novi, me dices avidum eſſe, nam hoc numquam eris numo divitior.*

malim cum utroque Camerariano: *nam hinc numquam.* Porrò quia nimis diu in edendo Plauto Gruterus noſter cunctatur an tricatur, unam alteramque manuſcriptorum lectionem ad quam ſagaci aliquo conjectore uſus ſit, quæque ſibi Sphingem quærat, non Scioppium, ſubicere heic volui. Eadem Pſeudol. act. 1. ſc. 3.

Ca. *Qui tibi ſoſpitalis fuit.* Ba. *mortuus eſt qui fuit: quia eſt, vivus eſt.*

hîc

hîc uterque codex Camerarii legit: *qui ſitus eſt, ſus eſt.* quod quid ſibi velit, divinent alii, Similiter act. 2. ſc. 4.

CH. *Dic utrum ſpemne an ſalutem te ſalutem Pſeudole?*

PS. *Imò utrumque.* CH. *utrumque ſalve* —— membranæ: *Spemne anſ matrem te ſalutem.* quomodo & alii ferè in libris quibuſdam ſibi repertum dicunt: *ſpemne an matrem.*

EPISTULA XII.

Inluſtri & generoſo adulеſcenti

GUILELMO WENCESLAO,

Baroni à Rupa.

CUm me jam ad tentandum undecimum Apuleji de aſino aureo librum compararem, tui mihi nobiliſſime & optime Wenceſlaë in mentem venit, mihique illa præclaræ indolis tuæ (de qua, etſi dixi, numquam tamen mihi ſatis dixi, vel dixero) recordatio majorem in abſolvendo hoc non malè inchoato opere ardorem & cupidinem conciliavit. quod cùm ita ſit, tu quoque cupidè & ardenter, velut bonos quoſque libros ſoles, hæc etiam noſtra pelleges. Non longè à principio legis: *Regina cæli, ſive tu Ceres alma frugum parens originalis, quæ repertu lætata filiæ, vetuſtæ glandis ferino remoto pabulo, miti commonſtrato cibo.* Sed corrige ſodes meum & libri veteris ſuaſum ſecutus: *veſculæ glandis.* Necdum ſatis convenit de hac voce, Veſcus, veteribus Grammaticis. Feſtus: Veſculi, malè curati & graciles homines. *Ve*, enim ſyllabam rei parvæ præponebant; unde Vejovem, parvum Jovem, & vegrandem fabam, minutam dicebant.

Veſcus,

Veſcus, faſtidioſus. *Ve* enim pro puſillo utebantur. Lucretius veſcum dixit edacem, cum ait: Nec mare quæ impendent veſco ſale ſaxa pereſa. Licebit ergo nobis ad exemplum vegrandis fabæ dicere, veſculam glandem eſſe ferè puſillam. Sequitur: *Seu Phœbi ſoror, quæ partu fetarum medelis lenientibus recreato populos tantos educaſti.* Mſ. *medelis lenicibus.* quod nec ego intellego & doctioribus arbitrandum relinquo. Ibidem in matris deûm deſcriptione: *Per intextam extremitatem & in ipſa ejus planitie, ſtellæ diſperſæ coruſcabant.* v. c. *Per injunctam e.e. in ipſa oris plan.* Et paullò pòſt, *ungula* pro *virgula* in eodem libro ſcriptum. Et ſtatim in ipſa Deæ oratione: *Inferorum deplorata ſilentia motibus meis diſpenſo.* Sic ſcribſi ſuadente id mſ. & ſententia. nam ad motum lunæ alludit. volgò: *nutibus meis.* Paullò pòſt: *Sedatis hibernis tempeſtatibus, & lenitis maris procelloſis fluctibus, navigabili jam pelago.* Vocem, *fluctibus*, dele volente mſ. *Procelloſa maris* antiqua loquendi formula, ut amara curarum. obſeſſa viarum, omnia rerum, ut in Veriſimil. dixi: Ibidem *Nam meo monitu ſacerdos, in ipſo procinctu pompæ, roſeam manu dextra ſiſtro coherentem geſtabit coronam.* Non diſplicet heic mſ. *in ipſo protractu.* id eſt, dum pompa protrahitur & procedit. Ibidem: *Meo juſſu tibi conſtricti comitatus decedent populi.* Meliùs mſ. *commeatus.* populus qui conſtrictim & densè commeat. Inferiùs in ipſius ſacræ pompæ deſcriptione: *Quorum primus lucernam præmicantem, porrigebat lumen, non adeo noſtris illis conſimilem, quæ veſpertinas illuminant epulas: ſed aureum cymbium medio ſui patore flammulam ſuſcitans largiorem.* Cum fide quàm diſcrepet liber ſcriptus recenſeo: *Q. p. l. præmicantem claro porrigebat lumine* &c. *cymbium in medio ſui pectoris flammulam factitans largiorem.* Eâdem paginâ: *Nunc atrâ, nunc aureâ facie ſublimis, attollens*

canis

canis cervices arduas, lavâ caduceum gerens. Mſ. *canis carius ardua anulis: lava* &c. Et ſtatim in v. l. fuit: *Sequebatur bos in rectum levata ſtatum, bos omniparientis deæ fecundum ſimulacrum.* quæ quoque lectio mihi verior videtur. Ex eodem lego in narratione illa, quomodo ex aſino in humanam faciem redierit: *Cervix procera cohibetur, os & caput rotundatur, aures enormes repetunt parvitatem priſtinam; dentes ſaxei redeunt ad humanam minutiem, & quæ me potiſſimum cruciabat ante, cauda nuſquam. Populi mirantur* &c. Volgò: *cauda nuſquam comparuit.* quod ego ab Apulejo non fuiſſe ſcriptum cum quîvis auſim ſacramento contendere. Unum etiam locum addam: *Quo facto ſacerdos voltu geniali & hercules perhumano in aſpectum meum attonitus, ſic effatur:* Quem hoc modo corrigendum exiſtimo: *Et hercules inhumano in aſpectu meo attonitus ſic affatur.* Illud, *Inhumano*, & poſterius, *affatur*, à mſ. eſt. Inhumanum itaque pro valde humano dixit ſæculi ſui more. *In adſpectu attonitus* dictum, ſicut gravis in annis ſenex, ut in Veriſimilibus dixi. Sic libro x. lego ex mſ. *Inquieto capite & oculis in aſpectu minacibus.* volgò: *inſpectu minacibus.*

Epistula XIII.

V. CL. ANTONIO OISELO JURISCONS.

Hoc tibi de noſtris ἀσπαστικὸν adfero libris. Hoc enim Auſoniano verſiculo meritò te compellare poſſe videor. Nam ſicut Romani illi eruditiores, cùm ad amicos, vel ceteroquin eruditos viros viſuri eſſent, nuncium prius de more cum verſibus, aut oratione aliqua, nomine ἀσπαστικοῦ præmittebant: ſic & ego, majorum exempla ſecutus, eo conſilio primum Suſpectas

meas

meas lectiones in epiſtulas conformare cœpi,ut propediem in Gallias miſſu parentum meûm abiturus his veluti adventoriis & præviis epiſtulis mihi ad illa Galliæ veſtræ lumina, Germanum Valentem Guellium, Cl. Puteanum, Flor. Chriſtianum, Petrum Fabrum, Petrum, & Franciſcum Pithœos, Joſ. Mercerum, Joh. Paſſeratium, P. Danielem, & alios aditum mihi viamque munirem. Quamvis autem non ita pridem ex clariſſ. Bongarſio veſtro didicerim; pleroſque illos non ſine magno non tam terræ Galliæ, quàm totius reipub. literariæ damno vixiſſe, meum tamen conſilium mutare minime neceſſarium duxi, cùm & multi etiamnum in patriâ veſtrâ viri docti ſuperent, & illorum operâ labores mei aliis porrò commendari, ſi merebuntur, poſſint. Te autem, Oiſele doctiſſime, magno opere rogo, ut interea dum viam ad vos adfecto, has lectiones meas ſic examinare & accuratiſſimo judicio tuo velis perpendere, ut ſi me DEUS aliquando vobis ſiſtet, in veris confirmari, à falſis autem abſterreri rationibus tuis poſſim. Trinum. act. I. ſc. 2.

Quid in mentem venit tibi iſthac dicta dicere?

facile quidem fuit, ſed quod ſciam à nemine factum tamen,ut hîc legeretur: *Quî in ment.* Et verò ſæpiſſime particulam hanc depravatam comperi. Eam reſtituo Curcul. act. I. ſcen. 2. *ſed quid eſt? quî lubet perditum dicere te eſſe?* PH. *quia, id quod amo, careo.* Volgo ibi editur: *quid lubet.* Et Epid. act. I. ſc. 2. ſimiliter lego.

—— ST. *perdidiſti omnem operam.* EP. *nam quî perdidi?*

nam ſic exhibent nobis Langianæ lectiones, ubi editi: *nam quid perd.* Alia & plura numero exempla ſunt apud Gulielmium, quem non compilabo.

Scenâ quartâ ejuſdem actûs quaſi quodam compendio verboſas multorum philoſophorum diſputationes complectitur. Scires è medio philoſophiæ depromptam. Ac vel illa quàm verè & graviter dicta ſunt, quibus filium objurgat pater, hortaturque, ne quod dicto paterno audiens ſemper fuerit, eo ſibi nomine placeat? Verba ſunt:

Quid exprobras? bene quod feciſti, tibi feciſti, non mihi.
Mihi quidem atas acta eſt fermè, tua iſtuc refert maximè.
Is probus eſt, quem non pœnitet, quàm probus ſit & frugi bona.
[Qui ipſus ſibi ſatis placet, nec probus eſt, nec frugi bona.]
Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.
Qui ipſus ſe contemnit, in eo eſt indoles induſtria.

Auro contra minimè cara hæc præcepta, atque adeò aurea, Ceterum ne quid diſſimulem, verſum antepenultimum nuſquam in editis libris reperias. ego princeps ex altero Camerarii codice eum id loci volentibus, ut opinor, optimi Comicorum manibus reſtitui. Scenâ quintâ, Minus quindecim, verſ. 193.

—— etſi admodum
In ambiguo eſt etiam, nunc quid de hac re fuat:

Etſi minimè cum iis facio, qui hanc loquendi rationem Latinam negant: *quid de me fiet, quid de illa re factum eſt &c.* maluntque potius, quid me fiet, quid illa re factum eſt: teſtari tamen volo, videri mihi heic cum ſcripto Camerarii codice legendum: *nunc quid ea re fuat:* Utrumque ſatis Latine dici hæc Plauti loca docere poſſunt. Epid. act. I. ſc. 2. verſ. 48. *Quid de illa fiet fidicina igitur?* Caſin. act. I. ſc. 7. verſ. 42.

Ne à me memores malitioſe de hac re factum aut ſu-ſpices.

Et act. 5. ſcen. 3. *Nec quid agam meis rebus ſcio.* Et ſc. 4. Quid feciſti Scipione? Item: Tuo quid factum eſt Pallio? Et Capteiv. act, 5. ſcen. 2. *interibi ego ex hac ſtatua verberea volo Erogitare, meo minore quid ſit factum filio.* Et alibi infinitis locis. Sic elegantiſſimus ſcriptor Cornelius Nepos in vita Themiſtoclis: *Miſerunt Delfos conſultum quidnam facerent de rebus ſuis.* Apud Nonium ſimiliter lego:

Nato quid factum eſt? depilati ſumus omnes.

Unum addam, in eadem Trinummo Sc. proxima legendum ex utroque Camerariano, *datur ignis tametſi ab inimicis petas.* Sæpe in tametſi depravata elegans illa particula, quam multis locis Cujacius veſter princeps reſtituit lib. 1. obſerv. cap. 14. eumque poſtea ſecuti Briſſonius libro 2. Parergon ſingulari, Muretus var. lect. lib. 11. cap. 17. & Janus Gulielmius libro Veriſimil. 1. cap. 14.

EPISTULA XIV.

ISAACO CASAUBONO V. CL.

NOn neceſſe habeo, Caſaubone præſtantiſſime, tibi me de levitate harum lectionum noſtrarum multis excuſare: ſiquidem magis hanc medendi viam, quæ eſt per libros ſcriptos, quàm alteram illam, temerè & fervore quodam juvenantis ingenti ſuſceptam, probare ſoles. Libro Apuleji nono de aſino ediderunt: *Sed ecce, per plateam dum Barbarus voltu turgidus, ſubductiſque ſuperciliis incedit iratus.* Malo cum mſ. *voltu turbido.* imitatione Plautina. Poſt paullò: *Vocato Myrmece, ſoleas*

oleas illas offerens, & ignovit ex animo: & uti domino redderet cui ſubripuerat, ſuaſit. Modius una dictione legit: *exanimo*; hoc eſt, Myrmeci præ metu exanimato. Ibidem: *Trepidantem adulterum alveo ligneo, quo frumenta purgari conſueverant* &c. Volgati libri, dictiuncula auctiores: *frumenta confuſa purgari.* Lego cum v. l. *confrixa.* quod nec tu, ſcio, improbabis. Infra de adultero deprehenſo, quem ſic maritus appellat: *Non ſum Barbarus, nec agreſti morum ſquallore præditus: nec ad exemplum machinæ truculentæ, ſulphuris te letali fumo necabo.* Mſ. *ad exemplum votivo truculentæ.* quod ſagacem aliquem virum & prorſus tui ſimilem interpretem, vel correctorem deſiderat. Et ſtatim: *Nec ſecius piſtor ille nuncium remiſit uxori, eamque protinus de ſua proturbavit domo. Perturbavit*, quod Colvius in volgatis & mſ. ſuo repererat, invitis Stewechio & Colvio retinendum, puto. Sic infra hoc libro: *Vitæ quam tenebat obtundens eum, dorſo meo proturbat.* In omnibus libris & Bertiniano quoque mſ. eſt: *perturbat.* Sic & Valer. Maximus lib. I. cap. ult. *Cujus ex oraculo reddita vox eſt, inventurum equum, ſed ut eo perturbatus periret.* Et Cæſar 7. belli Gallici: *Fundis, ſagittis, lapidibus noſtros de vallo perturbare.* Sic auctor ad Herenn. libro quarto: *Veſter vos animus reip. amantiſſimus facilè edocet, ut eum, qui fortunas omnium voluerit prodere, præcipitem perturbetis ex ea civitate.* Ubi nollem maximum Auratum fruſtra fuiſſe, ut, *deturbetis*, corrigeret, nec Lambinum, *qui proturbetis*, nam ſuperioribus exemplis ſatis doceri poſſe exiſtimo, *Perturbare* pro dejicere & evertere benè Latinè dici. Sequitur in Apulejo: *Nec moratus meus dominus, ſacculo & utribus vacuis ſecum apportatis, nuda ſpina mea reſidens* &c. Conſidera quid ſibi ſcripta velit lectio: *& verubus meis vacuis.* Et poſtea: *Nec tamen ille veſanus tantillum præſentia multorum civium*

territus, vel etiam confuſus, licet non rapinis, ſaltem verbis temperare noluit. Hæc lectio ab illis eſt, quos tu prudenter & graviter in Epidemico Criticorum morbo cubare ais, ut, quæ raram aliquam elegantiam promittunt, ubivis inferciant. Legendum itaque heic cum mſ. fuit: *temperare voluit.* Et ſtatim de canibus legendum fuit: *viatorum paſſivis morſibus alumnatos*; ut & volgati & ſcripti libri exhibent. Sed νεωτερισμῶν plena ſunt omnia. Paullò inferius ſcriptum fuit: *Lapidibus crebris in eum vindicant.* volgò: velitantur. Poſtea de aſelli ſui inertia querulus hortulanus: *Vix etiam paucos olerum manipulos de proximo hortulo ſolet, anhelitu languido fatigatus, ſubvehere; nedum ut rebus amplioribus idoneus videatur gerulus.* Vetus liber omiſſa particula: *nedum rebus.* Eleganter. Paullò pòſt: *Nec ille proſtratus ac præventus volneribus, ullum reperire quiens ſaluti ſubſidium.* Mſ. *præmovens volneribus.* quod quale ſit neſcio. Statim: *Hortulanus deorſus in ipſa tabernacula direpit in quamdam ciſtulam & ſupergeſto deliteſcit orificio.* Melius ex mſ. cod. legerimus: *in ipſâ tabernulâ.*

EPISTULA XV.

JOHANNI â WOUWEREN.

NE tibi plurimum debet Arbiter tuus, ingenioſiſſime Wouweri; quo nunc tuo beneficio quam emendatiſſimo & nitidiſſimo fruimur. Et Scaligero gratia, qui tuum illum honeſtiſſimum conatum tam prolixè juvare voluit. Verè dicam tibi, vix afuit quin tibi inviderem primùm, cum ex Juſto Raphelengio Franciſci F. intellexi, quantum tibi viri illuſtriſſimi humanitas profuerit. cujus exemplum vellem imitarentur Catones noſtri

ſtri

ſtri potiùs, quàm juniorum ſtudiis & crêſcenti gloriæ invideant. O te mihi beatum prorſus, cui non à primis annis verè ſolùm doceri, ſed & jam æquiſſimo tempore tanti herois conſiliis & colloquiis uti frui permiſſum eſt! quare nec novum, aut mirum adeò videri debet, maximè nos in ipsâ veluti barbariâ agentes in ſtuporem dari, ſimul quid ex tuâ tuique ſimilium officinâ maximè elaboratum ingenio & incredibili perfectum induſtriâ proficiſcitur. quorum ſi apud nos potior, quam boni publici reſpectus eſſet, non immeritò ab omni ſcriptura nos abſtinendos exiſtimarem. damus itaque in publicum, non qualia debemus, vel à vobis dari conſueverunt, ſed qualia poſſumus. Taliacumque erunt nobis in Plauto hodie notata, tuoque forſan acutiſſimo judicio ludibrium debentia. Milite Sc. Satin abiit.

—— àbi intro ad vos domum
Continuò, vide ſitne iſthac veſtra intus domi.

In duobus antiquiſſimis manuſcriptis legas: *iſthac domum voſtra intus.* unde non dubito trajectâ voce legendum: *iſthac voſtra intus domum.* Intus domum, pro in domo. Conſueverunt enim adverbia ſæpè præpoſitionum locum occupare. Sic *Intus ſedibus* pro in ſedibus apud Lucretium, ut Giphanius Indice Lucretiano admonuit. Act. 3. ſcen. 1. lego cum libris veteribus: *Nam bene conſultum ſurripitur ſæpiſſime.* Volgatum illud, bonum conſilium, gloſſam reſipit. Eâdem ſcenâ verſu illo: *Tum ad ſaltandum, non cinœdus magis aptus eſt, quàm ego.* quia in duobus libris reperit: *non cinœdus malacus æque ſtat, quàm ego*, conjecit Rittershuſius meus: *malacus æque'ſt atque ego.* Eâdem ſcenâ fere extrema de anulo loquens Palæſtrio:

—— ego recte militi (mſſ. meis)

Dabo, à tua uxore mihi dicam delatum & datum,
Ut ſe deamet, conciliarem.

τὸ *Ut* eleganter omiſſum velut Epidico:

—— juſſit ſenex
Conducere aliquam fidicinam ſibi huc domum:
Dum rem divinam faceret, cantaret ſibi.

Sed conjeci aliquando neſcio quam verè: *Ut ſe de eo amet.* id eſt, ut miles velit ſe amare de iſto anulo ſive ob iſtum anulum. Terent. Eunuch. act. 3. ſc. 2. *Ecquid amas nos de fidicina*, id eſt, ut interpretatur Donatus, propter fidicinam. Sc. Quantas res turbo. teſtari volui, in membranis perſcriptum: *Non opera eſt. Sceledro.* ubi volgò, *non opera.* de quo videndus Gulielmius. Sed & hoc jam ferè protritum, quod ſubjungam. *Agere ſe aliquo & agere aliquo* abſolutè, ſicut movere ſe & movere aliquo Latine dici, velut Palmerius pluribus docuit. Sic in ambobus Camerarianis ſcriptum eâdem ſcenâ: *Quo tu agis?* Lu. *miſſus ſum alio, jam huc revenero.* Similiter Moſtellar. act. 3. ſc. 2. verſ. 167. *Tranio age canem hinc à foribus abducas face.* Lego ex membranis: *canem iſtam à foribus abducat face.* Fac canem iſtam ut à foribus abducat, pro, abducat ſe. Sicut ex Plauto Nonius docuit: ducere ſe aliquo pro conferre, & accuſandi caſus pro nominandi poſitus eſt, cujus exempla longè plurima in his ipſis libris collegimus. Sc. ſequenti: Rem omnem. in eadem Milit. legendum ex Camerarianis libris: *Bene opportuneque obviam es Palaſtrio.* ubi volgò, *obviam is.* quomodo & alibi peccatum fuiſſe alii docuerunt.

EPISTULA XVI.

THEODORO CANTERO V. N.

ET tua quoque, Cantere Nobiliſſime exſtant, publice in Apulejum noſtrum promerita. Quo faciliùs meum tibi ſtudium complaciturus credidi, quod in adnotandis diſcrepantibus ejus ſcriptoris lectionibus poſueram: ſimul quod iis aliquando nimis accenſeri volo, quorum omnium in hunc ſcriptorum notas legi ſcribit Vulcanius tuus. quare ut ſolitâ humanitate tuâ earum partem heic à me perſcriptam legere & arbitrari ne graveris, rogo. Libro 10. de aſino: *Et ne qua forte naſceretur veniendi contatio; tradit annulum marito ſubtractum.* Nondum quidem probare, ſed neque tacere poſſum ſcripturam libri veteris: *veniendi occaſio atque contatio.* Statim: *At illa mandato fratris obſequens, hac enim ſola ſciebat* &c. Videbit qui totum locum conſiderare volet, verius eſſe in mſ. *hoc enim nomen ſola ſ.* Ibidem: *Nec juvenis ſororis ſuæ mortem tam miſeram, & quæ minimè, ut par erat, illata eſt, æquo tolerare quivit animo.* Mſ. exemplar: *minimè par erat, illatam æquo.* Lego: *& à qua minime par erat illatam, æquo* &c. Pagina proxima: *Quod, pluribus laqueis fraudium peſſimarum uxor inducta medici, facilè conſenſit.* Neque hanc ſcripturam non probabis: *Quid pluribus? laq. f. p. uxor viduata medici.* Magis de ea dubitari poteſt, quam ſubjungo: *Nec ille vir alioquin exercitus multiforme facinus execrata venefica dilatatione languida paſſus marceſcere.* ubi volgatur: *dilatione.* Nec minus de iſta. *Nunc luxurians* [ventus] *adſpirabat, ut adhærens preſſulè membrorum voluptatem graphicè laſciviaret.* volgò, *laciniaret.* Et infra

de Cupidinum icunculis fabrefactis: *Nam & pinnulis & ſagittulis, & habitu cetero forma praclara congruebant.* Præclarior futura lectio, ſi *praclarè* adverbialiter legamus. Ibidem: *Hora pulcherrima, qua jaculis floris ſerti & ſoluti Deam ſuam propitiantes, ſcitiſſimum conſtruxerunt chorum, domina voluptatum Veneris coma blandientes.* Quam lectionem quivis vel me tacente corruptam videt, non item quomodo ſananda, ſi vel maximè hanc veteris libri ſcripturam dixerim: *Veris como blandientes.* Ibidem de Venere ad tibiæ cantum ſaltante. *Venus placidè commoveri, cantantique lente veſtigio, & leviter fluctuantes primulas & ſenſim annutante capite cœpit incedere.* Sic in v. l. ſcriptum. Modius aliquid reponendum putavit, quod comas à fronte pendulas denotet. Volgò: *leviter per fluct. pinnulas* &c. Et poſtea: *Prater contagium ſceleſta polluta que femina, metu etiam mortis cruciabar maximè.* Mſ. *ſceleroſa.* quod placet impenſius. Libro ferè extremo: *Cenchreas pervado: quod oppidum adeunt quidem nobiliſſima colonia Corinthienſium: alluitur autem Ægao & Saronico mari.* Corrigo plaudentibus Muſis: *quod oppidum audit quidem nobiliſſima colonia Corinthienſium. Audit*, κλύει, vel cluit, ſive dicitur. Sicut alium ex lib. 6. locum in hac voce ſimiliter correximus, Epiſt. 16. præcedentis libri.

Epistula XVII.

MARQUARDO FREHERO JURISCONS.

Miraberis fortaſſe, Nobiliſſ. & doctiſſ. Marquarde, quòd non contentus nomen tuum nupero meo Veriſimilium libello traduxiſſe, novas inſuper in Suſpectis meis lectionibus

nibus epiſtulas tibi deſtinare auſim : at ego longè à te ſeorſum ſentiens magis majorem in modum miror, quòd tantum à me impetraverim, ut non alternis ſemper, ſicut conſtitueram, hîc te compellare vellem. Tam enim à te laudata opera illa noſtra, ut omnium me virorum doctorum punctum tuliſſe prædicares, facilè mihi perſuadere potuit, ut in morem laudati pavonis meas ſubinde pennas tibi explicarem. Vicit tamen apud me quamvis ambitioſum boni publici ſtudium, cui te in arbitrandis compluribus nugis noſtris, diutius deeſſe nolim. quare eâ lege nunc hæc ad te mitto, ut non niſi à gravioribus illis curis, quæ tibi cotidie incumbunt, reſpirans defunctoriè & obliquis quodammodo oculis contemplari velis. In Sticho itaque Plauti neſcio quid hodiè mihi laborare viſum eſt. Ejus ſcenâ 2. volgatur :

Edepol vos lepidè tentavi, voſtrumque ingenium. *

Verſum hunc integra voce defectum & decurtatum, ſic nobis repræſentavit Lambinus : *Veſtrumque ingenium duûm.* Et in Commentariis hæc adſcribit : *Veſtrum duarum ingenium. Sic autem putavi reponendum ex veteris ſcripturæ veſtigiis.* Euge Papæ! libros abſentes teſtes memorat. Sed quî ego iſthuc credam illi? quia illi in manu eſt quod dicat, ego quod credam id mihi in manu eſt. Iſtuccine eſt operam dare bonum correctorem vel interpretem? quin indicavit, quæ foret ſcripta illa lectio, eo ſi pacto veritas indagari poſſit. niſi fortè ſolus eſt Lambinus, qui ſciat divinitus, utque quod ille reſpondit, omnes ea ſententia ſtare oporteat. Ceterum cum in utroque Camerariano mſſ. ſcriptum fuerit, *ingenium ingeni*, mihi Lambini fides cum commentitia ſua lectione ſuſpecta eſſe cœpit, nec titubanti animo dictam modo lectionem amplexari velim. Ingenium ingenii veſtri, id eſt,

 animum

animum & ſenſum veſtrum. Sicut alias quoque Ingenium pro natura & moribus rei alicujus uſurpatur, ut ab aliis demonſtratum eſt. Scenâ 3. ſequenti: *Itaque auctionem prædicem, ipſe veneam.* Rittershuſius communis amicus noſter, cum in membranis ſcriptum reperiſſet: *ipſe ut me veni item,* legendum conjecit: *ipſe ut me venditem.* Sed eſt cauſſa, qua cauſſa eidem aſſentiri nolim. nam quid verſu futurum putas, ſi legamus ut ille credidit? niſi fortè *venditem* quidem retinebis, ſed provocabulum, *Me*, tamquam à mala ſciolorum manu adſutum putabis. ut, venditem, abſolutè dictum ſit, ſicut ſexcenta tanta, pro me venditem, quod ego valdequam dubito. Ibidem in verbis paraſiti ſe venditantis & auctionem prædicantis:

Logos ridiculos vendo, agite licemini.
Qui cena poſcit? ecqui poſcit prandio?
Hercules te amabit prandio? cenâ tibi?
Ehem annuiſtin'? nemo meliores dabit.
Nullis meliores eſſe paraſitos ſinam.

non eam perſpicuitatem, qualem forte Lambinus putavit, dum heic prorſus ſibi tacendum ſtatuit, ineſſe ſemper arbitratus fui. Ego ab hinc triennium, cum Plautum legere primulum inciperem, tali interpunctione locum juvare conabar:

Hercules te amabit prandio, cena? tibi
(Ehem annuiſtin'?) nemo meliores dabit,
Nullis meliores eſſe paraſitos ſinam.

q.d. Paraſitas: hoc tibi de me polliceri auſim, quòd ſi cenula vel prandio tibi me emas, nemo edaciorem habiturus ſit paraſitum in pollucto Herculis (quod ex decimis bonorum Herculi offertur, ut amet nos & bono atque amplo auctet perpetuo lucro) ad quod gregatim ſuam inibi voracitatem oſtentaturi, immò inanimentis explementa quæritantes

tantes potius paraſiti convolare ſolent. unde & Herculem nutricem ſuam vocat paraſitus Curculio, ut rectè admonuit Lipſius, glorioſum ævi noſtri ſpecimen. Hercules nos amat cena, quando bona noſtra lucris auget, ut inde lautius ſibi polluctum offeratur. Sic Venus nos amat, quando venuſtatem nobis & potentiam in amore largitur. Apulejus:

Quos Venus amavit, fecit amoris compotes.

Scenâ quartâ, cum puer nimis diu fores nequiquam pultaſſet, omnes denique vires ad eas arietandas colligit, ſeque ipſum tamdem & fores appellat: *Nimis hæc res ſine cura geritur, vide quamdudum hîc ædes pulto? Non operam datis, experiar fores, an cubiti an pedes plus valeant.* Sed commodiſſimè facturus videor ſi verſu ſecundo ſcribam: *Somnon' operam datis?* quod in altero mſ. diſertim ſcriptum eſt, in altero nonnihil depravatum, nimirum in: *Sum non op.d.* Eleganter autem fores ſomno operam dare ſive dormire dicuntur, cum ſe nihil commovent. Curcul. act. 1. extrema ſc. 2. *Hoc vide ut dormiunt peſſuli peſſumi, Nec mea gratia commovent ſe ocius.* Et apud Propertium meum in querelis Januæ de amatorum nocturnis occentationibus: *Ille meos numquam patitur requieſcere poſtes, Arguta referens carmina blanditiâ.* Eleganter ſanè, quaſi amator non patiatur januam dormire clamoribus & pultationibus ſuis. Somno operam dare, alibi quoque in Plauto legitur, & ſomno ſtudere.

EPISTULA XVIII.

JANO GRUTERO SUO, JURISCONS.

O Moleſtas mihi vel tuas, Grutere, vel potiùs typographi cunctationes! quæ tamdiu nos promiſſarum ſuſpicionum novarum deſiderium ferre ſubigunt. quas quamvis aliorum quoque ſcriptorum cauſſa, Quinctiliani, Martialis, Prudentii, Ovidii, nimis jam diu videre me expeto, potiſſimùm tamen Plauti & Apuleji loca, acutiſſimo judicio tuo examinata legere velim. quare ex ſummis induſtriis, ut nobis ſatisfiat, ingenii illius tui unius omnium ævo noſtro fecundiſſimi admiratoribus, adnitere. In utroque ſcriptore Plauto, inquam, & Apulejo numquam non erit, quod negotii vim ingenioſis hominibus ex ſe parere poſſit. Et ego etiam, qui optimi libri Apuleji ſcripturâ utor, non exiguum mihi tamen ſpicilegium relinquo. Sat enim ſcio, me nunc adoleſcentem judicii nondum confirmati, adde & properantem, multa in libro meo olim, ex veteri libro adnotata, reperturum, quæ meritò diſputari & volgo proponi oportuit. Sed quî aliter quæſo fieri poteſt? nam ut omnes variantes lectiones, quæ mihi nunc malæ videntur, repræſentem, hoc loco & inſtituto meo alienum fuerit. quare illas ſolùm adfero, quæ quodammodo meliores & evidentiores ſunt. Vide itaque ſintne ejuſmodi, quas jam ſubiciam. Libro quincto de aſino in narratione fugæ illius Cupidineæ: *At Pſyche ſtatim reſurgentis ejus crure dextro manibus ambabus arrepto, ſublimis evectionis appendix miſeranda, & per nubilas plagas penduli comitatus extrema conſequia, tamdem feſſa delabitur*

bitur ſolo. In libro veteri ſcriptum fuit: *appendio miſeranda.* quod ſine dubio, gloſſis uteremur quibus multi bono publico invidi, confirmari poſſet, niſi vocem *appendio* ablativum putabimus, quod Pſyche miſeranda fuerit ob illud appendium. quod ferè vero ſimilius fuerit. Paullò poſt legitur in eodem codice: *Sed illæ quidem conſiliatrices egregiæ tuæ tam pernicioſi magiſterii dabunt ad nutum mihi pœnas.* ubi volgò, actutum. Statim legendum: *Et cum termino ſermonis, pinnis in altum ſe proripuit.* Ab eodem libro eſt & hoc: *Volatus mariti ſuſpiciens extremis adſligebat lamentationibus animum.* Et hoc etiam: *In ſororis ſceleratas nuptias æmula feſtinavit ad ſcopulum, inque conſimile mortis exitium cecidit.* Sed hæc facilia, quibuſque vindice non opus ſit. nunc autem videſis Grutere, & acutè comminiſcere, quid his faciamus: *Honeſta, inquit, hæc, & vocalibus veſtris, bonæque tuæ frugi congruentia?* Verba ſunt Veneris amationes Cupidinis incuſantis: ſed volgò legitur: *natalibus noſtris.* In eadem expoſtulatione ſunt & hæc: *Sed malè præ pueritia inductus es, & acutas manus habes, & majores tuos irreverenter pulſaſti toties.* Ubi tamen editum eſt: *ſed malè prima pueritia inſtructus es.* Duo ejuſdem libri loca olim in ſuſpicionibus tentaſti. quorum prior: *Jamque provecta nocte, & elemens quidam ſonus aures ejus accidit.* Suſpicaris legendum: *provecta nox, & cl.* Vel. *provecta nocte, en clemens.* Sed veriùs eſt particulam, *&*, deleri quæ à mſ. abeſt & ex initiali ſequentis & finali præcedentis verbi litera conflata videtur. Poſterior locus: *Ipſa jactatione immodicæ oſtentationis tumentem ſuum prodiderit animum, deque tantis divitiis exigua nobis in vita projecerit.* Putas typographicum eſſe mendum & legendum: *invita.* Sed in mſ. tamen eſt: *in via.* quod etſi neſcio quid heic velit, tu tamen illo tuo acumine & ſagacitate aliquid inde

inde extricare poteris. quod mihi quidem, ut tua omnia, longè erit gratiſſimum. Salve, decus noſtrum & me ama.

EPISTULA XIX.

THEOPHILO MADERO

Medico & Philoſopho.

ETſi tibi, clariſſime & cariſſime Madere, multis nominibus obſtrictus ſum, atque adeò quidem, ut ſolvendo neutiquam eſſe queam; niſi tamen de ſtudiis noſtris præclarius, quam iſti moroſophi ſolent, te ſentire ſcirem, numquam animum inducerem, ut hac odioſâ Criticâ compellatione mea tibi moleſtus eſſem. At enim quia non ſtudium noſtrum minùs, quàm me, amare ſoles, quin ea tibi gratiſſima futura foret, dubitare nolui. Moſtellariâ itaque feſtiviſſimâ Plauti fabulâ act. 2. ſc. 2. indignabundo ſimilis ſenex, quod ſibi tam valide oſtium pultanti nemo reſponderit:

Pultando (inquit) *pedibus penè confregi aſſulas.*
TR. *Eho an tu tetigiſti has ædes?* TH. *cur non tangerem?*

Mirabar quod in duobus primum membranaceis libris, tum antiquitus cuſis reperi, *confregi aſce ambas.* Sed jam deſino, legoque:

—— *penè confregi haſce ambas.* TR. *Eho,*
An tu tetig. ——

Debet enim prior eſſe Jambicus ſeptenarius. Haſce ambas, ipſas fores dicit vel valvas. Sic Captivis act. 4. ſc. 2. *aperite haſce ambas fores, Priuſquam pultando aſſulatim foribus exitium adfero.* Sequitur ibidem:

Di te

Di te deaque omnes perduaxint cum iſto omine.

TR. *Metuo te atque iſtos expiare ut poſſies.*

Pro illo monſtro verbi, *perduaxint*, quod Turnebo quoque & Lambino ſuſpectum olim viſum, in altero Camerariano ſcriptum fuit, *faxint*; in altero, *axint*. Probo, *faxint*. Volebat ſenex pluria iſtuc addere, Ut: di te faciant, ut malo cruciatu pereas vel quid ſimile, ſed ſervus inchoatum ejus, ut fit, ſermonem interrumpit. Et poſtea: *per fidem Deceptus ſum*, malo cum ſcripto libro: *perfidè*. Act. 3. ſc. 1. cum Daniſta fœnus argenti reddi ſibi à Philolache poſtulaſſet, Tranio ei, ut ſorte contentus ſit, ſi recipiat, perſuadere conatur. demum ubi ſe nihil agere, & operam autem ſuam incaſſum ſumtam videt, nihil ei daturum ſe minatur.

Non dat, non debet. DA. *non debet?* TR. *nec erit quidem:*

quæ poſtrema verba multos viros doctos exercitos habuerunt. Lambinus ſuſpicatus fuit: *ne curat quidem.* quæ lectio non curanda mihi & inſuperhabenda viſa fuit, quod nimis malè metuo & meæ expetat: *neque id quidem.* quia ſcriptum: *nece* pro neque. q. d. planè nihil tibi debet, ac ne id quidem, quod modò tibi obtuli, ſortem nimirum. Sed neque id quidem qui credat inveniam. quare quin deſperatum locum amitto, &, quod video periiſſe, perditum duco. Menæchmis act. 1. ſc. 1. miror locum hunc adhuc vitioſe legi:

Ita iſtac nimis lenta vincla ſunt eſcaria

Quam magis intendas, tanto adſtringunt arctiùs.

Mendum typographi putaſſem, niſi ſuam nobis bellus Commentator interpretationem addidiſſet. qui ſi veteres editiones, cum quibus Cameriani faciunt, conſuluiſſet & *Extendas* hîc reſtituiſſet & verboſa illa interpretatio inibi nata non foret. Eleganter, quam magis hæc vincla laxas & extendis,

extendis, tanto artiùs adſtringunt. Act. 4. ſc. 2. *Diem corrupi optimum, juſſi apparari prandium.* Non diſplicet Rittershuſii mei commentum: *Diem corrupi, opimum juſſi a. p.* Quod autem Amphitr. act. 1. ſc. v. 275. à Soſia dicitur de cirnea: *Eam ego ut matre fuerat natum, vini eduxi meri.* non ſatis ab Interprete explicatum eſt. Dixit ergò Græcorum imitatione vini matrem vitem, & ſic vinum eſt filius vitis, quomodo priùs Pindarus *βιαλὰν ἀμπέλου παῖδα* dixit. Plura in hanc rem exempla produxit Italorum optimus & doctiſſimus Petrus Victorius libro variar. lection. 23. capite 5. Longè autem plura nuper ſuppeditavit Rittershuſius in elegantiſſimis ſuis in Oppianum commentariis ab Raphelengio excuſis. Sic Philoſophum præſtantiſſimum Phil. Scherbium pro lectione, cum Topicos Ariſtotelis libros nobis explicaret, Suidæ locum nobis laudare memini, in quo Rhythmus metri pater dicatur.

EPISTULA XX.

GEORGIO QUECCIO SUO.

MEminiſſe potes, Quecci doctiſſime, idemque hoſpes amiciſſime, cùm ſuperioribus hebdomadis illum Virgilii locum 10. Æneid. unà mecum legenti: *Cui pecudum fibra, cœli cui ſidera parent, Et lingua volucrum, & præſagi fulminis ignes* dicerem, *Parent*, ibi non pro obaudiunt poſitum, ut volgus illud magiſtellorum putare poſſet, ſed *parere* veteribus idem quoque valuiſſe cum apparere, patere, notum perſpectumque eſſe. Cicero cùm ſæpe aliàs, tum pro Milone: *Quid porrò querendum eſt? factum ne ſit? at conſtat à quo,*

ac

ac paret. Et in jure noſtro ſæpiculè, ut Briſſonius aliique proceres adnotarunt. l. 24. §.13. quid ergo ff. de fidei. libert. *Quod ſi ordo non pareat, aut ſortiri eos oportet.* Sic quidem Pand. Flor. volgò *appareat.* Nec aliter gloſſæ veteres explicant. *Paret* φαίνεται. Utuntur plurimi alii, & Apulejus lib. v. *Ut quamvis hominum nemo pareret, chorus tamen eſſe pateret.* Et cùm ſciam te nihil volgare ſapere, ſed reconditiorum literarum perquam eſſe cupidum, atque adeò cùm ab Ariſtotele tuo aliiſque, quos juventuti de ſuperiori loco interpretaris, majorum gentium auctoribus diſceſſiſti, Plauti, Petronii, Apuleji denique lectionem non abhorrere, alterum Apuleji locum tibi heic repræſentare volui, in quo ſimiliter *Paret* pro apparet utitur. Is eſt lib. I. de Aſino: *Quid inquam de me fiet ubi iſte jugulatus mane paruerit? Cui videbor veriſimilia dicere, proferens vera?* Atque ita quidem hæc in Bertiniano veteri codice perſcripta fuerant. quare Stewechium, interpolantem. *Quid inq. me fiet*, hîc non audiendum puto. Utrumque enim bene latinè dicitur *Quid me fiet & quid de me fiet?* ut aliàs doceo. Quia verò ultima illa olim ſic edita fuerunt: *Cui videbor veriſimilia differentia proferens vera?* putabat Stewechius: veriſ. deferre prof. Ego veriſimilius & preſſius receptæ lectionis veſtigiis inſiſtens: *C. v. v. differere, etiam proferens vera?* Ceterum te cenſere velim & hæc, & illa, quæ ſequuntur. Volgant itaque *Quid tu, inquit, ignoras latronibus infeſtari vias, qui hoc noctis iter incipis? Hem, etſi tu alicujus facinoris tibi conſcius ſcilicet mori cupis, nos incurbita caput non habemus ut pro te moriamur.* In Mſ. pro *vias* eſt *vicis*, malim, *vicos.* Pro *ſcilicet* Stewechius repoſuit, *Ilicet* pro ſtatim. quo de mihi ſecu. videtur, & interpurgendum potius: *Hem etſi tu, alicujus f. t. c. ſcilicet, mori cupis.* q. d. janitor ille: Qui ſibi alicujus ſceleris ſunt conſcii,

conſcii, velut furiis inquietati, mortem quærunt. Et fortaſſe tu talis es, & vis fores tibi aperiri, ut in latrones incidas. Sed non aperio, quia valvis de nocte reſeratis fieri poſſet, ut latrones in vicis irrumperent, noſque tecum pariter interimerent. Evidenter jam vides, confirmari ſuperiorem correctiunculam meam τῦ *vias* in *vicos*. Statim ſequitur: *An ignoras inepte nudum nec à decem palæſtritis te ſpoliare poſſe.* Stewechius maluit *palæſtr. deſpoliari*: cum quo facit manuſcriptus noſter, abſque quo eſſet, ſcriberem: *An ignoras inepte, te nud. n. a. d. p. ſpoliari poſſe.* Nec adſentio Stewechio, dum apud Petronium *deſpoliat* reponit pro *ſpoliat* in hoc loco ubi de fabis: *Dentibuſque folliculos peritè ſpoliat.* Nam *ſpoliare* in ea notione valdè elegans. hinc *ſpolia* pro exuviis. Lucret. *ſpoliis corpus veſtire ferarum.* ſic & σκῦλα græcis de corio, quo nux caſtanea integitur, nec dubitari debet, quin & de omnium ſimilium putaminibus rectè dicatur. talia σκῦλα hic Petronius folliculos vocat. Sic Ovidius *ſpolium leonis* pro pelle. Sunt itaque folliculi & ſpolia idem. Dicit ergo Petronius *ſpoliare folliculum* ſicut Cicero, detrahere alicui ſpolia. Et ſpoliare propriè eſt veſtem alicui exuere. Unde *ſpoliarium*, ubi veſtes exuunt balneas ingreſſuri, ut pluribus docet vir rerum humanarum doctiſſimus J. Lipſius. Saturnal. 1. cap. 18. Eodem autem loco putamina quaſi veſtem dixerat Petronius his verbis. *Granaque ſordidiſſimis putaminibus veſtita.* Petronio itaque ſpolia ſua contra doctiſſ. Stewechium aſſeruimus: age & Apulejo *convectorem* ſuum in ſequentibus: *Unde autem, inquit, ſcio, an convectore illo tuo quo cum ſerò deverteras, jugulato fugæ mandes præſidium.* Nulli, inquit Stewechius, his viatoribus equi aut currus. quare corrigit: *combitore ille.* Bitere eſt ire. Sed mihi invitis libris aliquid mutare religio eſt. quin

provectum

provectum quoque pro profectum ſæpe dicebant. Symmachus ſæpe eo utitur, ut lib. 7. epiſt. 24. & epiſt. 72. Et apud eundem lib. 9. *Quamquam procul ſemotus domum celeri gradu provectus.* Sed in volgatis libris ſemper depravatum eſt. Et ſanè ſi quid mutuandum omnino ſit, malim *convictore*: qui tecum heri in cena fuit, quique tecum huc devertit. Et *combitor* præter quod ipſa novitate ſua mihi ſuſpectum eſt, tum & à ſcriptæ receptæque lectionis veſtigiis nimium quantum recedit.

EPISTULA XXI.

DAVIDI HOESCHELIO.

QUod ſi more meo omnibus, qui de me meisque ſtudiis præclarè meriti ſunt, & cottidie mereri perſeverant, inſtituta in præſenti gratiarum actione, gratum meum & memorem beneficiorum animum nonnihil exhibere vellem: ne tua nunc, Vir eruditiſſime, multa heic numerò officia, & verò prædicari queant. Sed neque me conſilii mei ratio, quí his libris auctorum tantummodo veterum volneribus medicinam facere inſtitui, tam multa tua bene promerita commemorare patitur: neque autem tua inſignis humanitas permittet, ut qui multò etiam majora meâ cauſſâ facere paratus es, ejus nunc illa facta collaudari, quæ aliis ſubinde novis ornari & cumulari debent. Quem tuum in me animum ut perpetuum conſerves, quantis poſſum precibus à te contendo. Etſi enim tantis beneficiis remunerandis & compenſandis ſatis eſſe nequeo, ut te tamen eorumdem grata commemoratio nonnihil olim delectet, ſtudioſè videro. Jam verò animum, ut ſpero, ad emendationes noſtras parumper attendes.

Nihil verò neceſſarium eſſe puto, ut hîc ambitioſè me purgem tibi, qui tam levia ſæpe minimeque inculcem neceſſaria. quia Criticorum fidei decere didiciſti, ut quæ veriora norunt, quantulacumque ea tamdem eſſe videanter, ſincere referant. Mercatore, act. 1. ſc. 2. verſ. 94.

—— CH. *quid faciam? cedo, non credet pater,*
Si illam matri mea emiſſe dicam. pòſt autem mihi
Scelus videtur, me parenti proloqui mendacium.

Poterat quidem hoc, ut ego opinor, taceri: ſed elegantius tamen erit volgato illo ſi cum Camerarianis libris legamus: *credò, non credet.* Act.4. ſc.4. lego: *Hera quo me miſit ad patrem non eſt domi.* Sic enim in altero Camerariano diſertim exſtitit, volgò, *quem*, pro *quo* legitur, quod non neſcio defendi poſſe. Act. 5. ſc. 1. quatuor elegantiſſimis verſibus clauditur, quos ex Philoſophorum ſcriniis depromptos, ut credibile eſt, non poſſum porrò, quin heic adſcribam: ſic itaque ratiocinatur adulescens amore perditus, cetera minimè malus, & quod maximum eſt in parentes religioſè pius, ex agro Attico exſulatum nunc abiturus:

Nam ubi mores deteriores increbeſcunt indies,
Ubique amici qui infideles ſint, nequeas pernoſcere,
Ubique eripiatur, animo tuo quod placeat maximè,
Ibi quidem ſi regnum detur, non eſt cupida civitas.

Ceterum duos illos in medio verſus ſic inclinabam interpolare:

Ubi qui amici, qui infideles ſint, nequeas pernoſcere,
Ubique id eripiatur, animo tuo quod placeat maximè.

In priori verſu pura puta conjectura uſus ſum: in altero non item. nam in altero Camerariano fuit: *Ubique deripiatur.* in altero autem: *ubi quid eripiatur.* Quæ ſic rectè ſcribſeris: *Ubiqu' id erip.* quomodo nos jam correximus. Sc. ſequenti. 2. edunt: *Exite illinc*

illinc pallium mihi huc ferte. Alter Camerarianus : *hac ferte.* alter , *hac ferte.* Unde quivis alius quamvis indoctus videre poterat faciendum : *ecferte:* Sic enim ſcribſiſſe veteres pro , *efferre* , omnium librorum veterum conſenſus teſtatur. Sic Milite glorioſo Sc. Quid modi. Similiter in membranis ſcribſerant : *Exite atque hac ferte huc intus omnia.* ubi volgò rectè : efferte. Sic Aulular. Sc. Emortuum. *Credo referet jam ſecum & mutabit locum.* Langiani libri exhibent : *hoc feret.* Camerarianus : *hec feret.* videt quivis miſſa adſpirationis nota , ſolemni librariorum ſtultitia pro re omiſſa & inculcata , legendum : *ecferet* ſive efferet , quod & Rittershuſius noſter ad oram libri ſui adnotarat. Sequitur eâdem Mercat. ſcenâ

> *—— quin tu ergo itiner exſequi meum ſinis*
> EV. *Non ſino.* CH. *ergo me moror , tu puere abi hinc intro ocius.*

norunt qui Plautinæ dictionis Genium non ignorant rectiùs cum ſcriptis codicibus legi : *ego me moror.* Sic enim irati dicere fere ſolent , qui ſe ipſos propemodum incuſant , quod nequiquam ſe ab aliis detineri patiantur. Pſeudol. act. I. ſc. 3.

> *It dies. ego mihi ceſſo. i pra puere.* CA. *heus abiit , quin revocas ?*

EPISTULA XXII.

GEORGIO GLACIANO.

LAutia non eſſe , quod volgò putant , munera legatis dari ſolita: ſed commeatum & quamvis neceſſariam ſupellectilem , minimè te , vir doctiſſime , ignorare arbitror. Nam ſic vetus magiſter docet in Gloſſis Græcolatinis : *Ἐνδομενία*

hac ſupellex, pluralia non habet. Ἐνδομενίαι *hac Lautia, ſingulare non habet.* Livius cum ſæpe alìàs, tum lib. 33. *Macedones Legati deducti extra urbem in villam publicam, ibique iis locus & lautia præbita.* Plura ὁ μακαρίτης Briſſonius in Formulis. Apud Symmachum lib. 4. conſpicitur epiſtula 56. quam nos in editione noſtra jubentibus antiquiſſimis libris, decimæ quartæ libri x. emendatiorem priùs factam ſubiciemus, tamquam ad Imperatorem perſcriptam. In ea itaque volgant: *Nam quod ſciam Muſis in Palatio loca lautiora tu dediſti.* Adjectumque ad oram, in Pithœi libro ſcriptum fuiſſe: *loca aptiora.* Laudo acumen Rittershuſii mei, qui inviſam tantis viris emendationem commentus eſt in Prodromo ſuo: *loca lautia tu dediſti.* quomodo & nos in ſcriptis libris invenimus. Similiter hodie Quæſtorem veluti urbanum gerentes. M. quoque Tullio tuo LOCA LAUTIAQUE præbere conati fuimus. cujus hæc ſunt extrema epiſt. 5. lib. 9. ad Varron. *Mihi ſi ſpatium fuerit in Tuſculanum ante Nonas veniendi, iſtic te videbo: ſin minus perſequar in Cumanum. & ante te certiorem faciam, ut lavatio parata ſit.* In Baſilienſi manuſcripto fuit: *lautio parata.* Unde neſcio quàm verè, certè veriſimiliter conjeci: *lautia parata ſint.* Cum enim Cicero & Varro ad Nonas convenire ſtatuiſſent, ait Cicero ſe ante Nonas Varroni ſignificaturum, quomodo Lautia & omnia neceſſaria in ipſius adventum jam parata ſint.

CASPA-

CASPARIS SCHIOPPI, FRANCI, SUSPECTARUM LECTIONUM LIBER TERTIUS.

Epistula I.

IGNATIO HANNIELI JURISCONS.

MIrantur plerique omnes, Ignati cariſſime, quânam ratione fieri potuerit, ut nos duo, tu quidem Vir jam gravioris & provectioris ætatis, ego autem adoleſcens tum nondum vicenarius tam artam & inviolabilem inter nos amicitiam contraheremus. Et verò ipſe quoque ſi nunc hominum morem in conciliandis amicitiis mecum conſidero, hoc mirum aliis videri minus mirari ſoleo. Nam ſi conviviis & poculis, quod hodie fieri ſolet, amicitias ſancire oportet, ne nos in æternum numquam conciliari, vel in unum animum rerumque omnium ſecretiſſimarum communicationem convenire potuimus, non magis certè *Quam Ganges Veneto convenit Eridano.* Nec enim utriuſque noſtrum rationes ferre videbuntur, ut à ſolito vitæ noſtræ rigore minimùm exorbitemus. Tibi quidem, ut Philoſopho viroque graviſſimo, de die bis ſaturum fieri minimè decere

 videtur:

videtur; mihi etiam ab uſque mane ad veſperam ſtudiis meis impranſum operam dare ex conſuetudine in naturam vertit. Vinum tibi quoquo modo venenum eſt, & peſtis certiſſima; mihi ut vel modicè ſumtum plurimùm officiat, haſtis vigilum Ingelſtadinorum, cum publicâ velut auctoritate liberè in quoſvis graſſantium & latrocinantium ſuperiore anno factum eſt. Tu diem totum tamquam claudus ſutor (ut familiaris noſtri verbis abutar) in bibliotheca tua ſedere, nec temere tui copiam aliis facere conſuevisti: mihi quoque ex adſiduâ & ſedentariâ operâ manus jam & pedes turgeſcere occipiunt. Quæ dum homines ſtolidi, quique fratres in Baccho plurimos, amicum verò nullum ſibi peperêre, recogitant, quî tamdem cum iſtis moribus conjungi potuerimus, velut cum ſtupore quodam admirari ſolent. At tu, Ignati doctiſſime, qui in Philoſophorum nutricatu altus eductuſque de amicis parandis veriùs exiſtimare potes, longè diverſum, quàm volgus, ſpectari oportere exiſtimas, fidem nimirum, libertatem & candorem, quæ tria ſola, quo minus vivere pigeat, conficere & impetrare poſſunt. quæ (quod unum in hac vitâ gloriari auſim) cum in me, ut judicabas, eximia apparerent, de ætate meâ & eruditione minus tibi laborandum duxiſti. Quâ quod careo, vel exiguam certe conſecutus ſum, me præ te beatum exiſtimo. nam præter illas, quas dixi virtutes, ingenium in te acre, judicium grave, eruditionem variarum literarum ſingularem reperi. Taceo jam Juriſconſultum vix cum uno & altero Germaniæ noſtræ comparandum; taceo Philoſophum ſubtilem, Politicum prudentiſſimum, Mathematicum ſolertem; nec dico jam de mechanicis illis & præſertim horologiis, quæ mirâ arte à te perfecta principum Pinacothecis exornandis

nandis adſervantur: vel illud quanti exiſtimandum, quod in quo ceteri ſtudio exſibilando laudem quærere ſolent, illud tibi præcipuè excolendum ſumſiſti, Philologicum dico, in quo eos feciſti progreſſus, ut pauci in Germania noſtra tecum paria facere poſſe videantur. Merito itaque te & clariſſ. Rittershuſium noſtrum cum præclaris tantiſque dotibus amo, nec cum quiquam plura mihi ſunt, quæ velim, nec à vobis non ſit mutuum. Quare cum ea ſit noſtra amicitia, ut dixi, non jam tecum oro, ſed impero veriùs, ut quæ juvando familiari tuo Plauto hodie ſcribebam diligenter examinare velis. Perſa act. 4. ſc. 4. Toxilus ſervus Dordalo lenoni perſuadere conatur, ut Virginem quæ ex Arabia uſque penitiſſima adducta ſimulabatur præmercetur. Argumenta audi:

—— nullus leno te alter erit opulentior.
Evortes tuo arbitratu homines, fundis, familiis,
Cum optimis viris rem habebis, gratiam cupient tuam,
Venient ad te comiſſatum. DO. *at ego intromitti non ſinam.*
TO. *At enim illi noctu occentabunt oſtium, exurent fores.*

Vide mihi an non geminus germanus huic Plautino locus ſit apud Apulej. apologia. 2. de Rufini ædibus, quas tamquam lenonias deſcribit: [Diebus ac noctibus ludibrio juventutis janua calcibus propulſata, feneſtræ canticis circumſtrepitæ, triclinium comiſſatoribus inquietum.] Sed verſu tertio in uno Camerariano ſcriptum fuit, *concipient tuam.* quod rectè Rittershuſius noſter mutavit in *concupient.* Eod. act. ſc. ult.

Salve mea gnata. DO. *Perſa me peſſundedit.*

In duobus vett. libris: *Et Perſa.* non dubitabis ſcribendum: *Hei Perſa.* vel potius veteri & vera ortho-

orthographia : *Ei Perſa.* Sic Prologo Rudentis ſimiliter in ſcriptis libris fuit: [Tetuli & auxilium] ubi verum eſt, *tetuli ei auxilium.* Sic Moſtellar. act. 2. ſc. 2.

Necavit? TR. *aurumque ipſi ademit hoſpiti.*

In iiſdem mſſ. *aurumque & ademit*, legendum : *ei ademit*, vel *eii.* metri cauſſa. Scenâ ult. editur :

—— *qua hac res eſt? hei colaphum icit.*

audacter nimis Lambinus : colaphum ducit. quanto ſimplicius fuerat : *colapho m' icit.* vel, *me icit.* u, pro o, ſolemni vitio poſitum, Act. 3. ſc. 1. ſcriptum in mſſ. *Cum parva natu recte pracipio patri.* Act. 1. ſc. ult. verſus 85. uno pede minor incedit :

Abi & iſtuc cura, ego puerum volo
Mittere ad amicam meam, ut habeat animum bonum.

Cui quomodo medear non invenio. nam & manuſcripti ſunt mendoſi. qui ſic exhibent : [iſtuc curam me tibi puerum.] Ineptiarum mearum me piget; quas tamen te cum quo mihi ſunt omnia non celare debeo : *iſtic cura mea* : *ibi p. v.* Vel : *cura: interibi puerum volo.* Interibi pro interea Plautus noſter frequentare ſolet. Sed mihi veteri formula N. L. pronuncio.

EPISTULA II.

JOSIÆ MERCERO
V. C L.

UTinam verò, elegantiſſime Mercere, ſuppeteret mihi, qui gratias tibi pro laudatiſſimâ tuâ in Ariſtænetum operâ referre queam. Nunc quia nihil eſt, illud tantum heic profiteri volui, judicium tuum omnium eruditorum adſenſu acerrimum ſubegiſſe me, ut hæc noſtra

in

in Diomedem tibi examinanda offerrem. Apud illum edidere [Publius de vita ſua: Quod ſi me invitum abire ſiniſſet. Item Scaurus: Prædium non ſini fieri. Melius tamen dicitur ſivi,ſicut Varro complexionum ſexto: Ad mortem non ſivi me producere.] Sed augenda tamen & corrigenda hæc jubentibus blattarum ludibriis. Veteres Codices dico, qui ita malunt: [Publius Rutilius de v. ſ. Q. l. m. i. a. ſiviſſet (ſed malè hoc; corrig. *ſiniſſet*) Item Scaurus de vita ſua tertio. Prælium non ſibi (corrig. *ſini*) fieri. M. t. d. ſivi, ſicut Varro Epiſtolicarum quæſtionum ſexto: Ad mortem me perduceres non ſit.] Viveret Varro, complecteretur me, ſat ſcio, multumque amaret de odioſis illis Complexionibus quas ab ipſo defendi. Sed non hac ſine mea illi conſtitiſſe debet comitas. nam & exemplum ipſum ita legendum puto: [Ad mortem me perduere res non ſivit. *Perduere* pro perdere, frequens antiquis. Paucis interjectis de verbo *Excello*, ait, veteres, & in his Ciceronem, id verbi in tertio ordine frequentaſſe, poſtea ſubdit: [Vetus tamen Macer Æmylius Ornithogonias ſecundo: cum laude excellet omnes.] Quod verè Ridiculum vocat eruditiſſimus, & de re literaria, meque ipſo optimè, ſi quiſquam alius, meritus Fr. Modius, cujus obitu magnam literæ jacturam fecerunt. quaſi vel Cicero, vel alii ibi laudati non æquè veteres. quare legendum potius: *Verumtamen Macer &c.* Et ibidem de verbo Deleor: [Cicero ad filium: ceteris delitus] membranæ: *caris deletis.* Legit idem ille numquam ſatis laudatus Modius: *delitis.* Sed in eo falli puto Diomedem, quod delitas ceras à delendo potius, quam delinendo deduxerit. Immediatè apud Diomed. ſequitur: [Varro: pecorinæ delitæ literæ. Calvus ad uxorem primâ epiſtulâ:

Invita delita.] Ceterum aliter paullò manuſcriptus: *Varro in Pratoriana: Delita litera. Calvus alibi ad uxorem, Prima epiſtula videtur invia delita.* Sed ſuus epiſtulæ modus conſtare debet. Itaque manum de tabula.

EPISTULA III.

HIERONIMO ARCONATO

S. Cæſ. Majeſtati à Secretis bellicis.

NIhil verò quicquam opus fuerat, Vir clariſſime, ut Rittershuſium noſtrum ſuper meo in te amore conſervando literis tuis ſolicitares. Eo enim ingenio natus ſum, ut quos ſemel virtutis & eruditionis reſpectu amandos & colendos mihi exiſtimavi, in eos ego ardentiſſimum adfectum meum non niſi æternare poſſim; prorſus ad exemplum poëtæ mei Romani inquam Callimachi hæc de ſe pronunciantis:

Hoc mihi perpetuo jus eſt, quod ſolus amator,
Nec cito deſiſto, nec temere incipio.

Etſi ſane non exputare poſſum, quid in me ſit illud, quod tantopere te in mei amorem pellicere potuerit. nec enim ignoro, quam in omni literatura non dicam intra, ſed infra omnem modum ſimus. in qua tamen eo pergimus alacrius, quò virorum præſtantium, hoc eſt, tui ſimilium favore conſtantiùs provehimur, & tantum non impellimur. Vide ſis autem, mi Arconate, quantam tibi negotiorum vim hæc tua humanitas dicam an facilitas ex ſe pepererit: ut te nimirum hominem graviſſimis negotiis ſemper diſtrictiſſimum his nugamentis noſtris Criticis velut arbitrum judicémve advocare auſim. quod tu tamen onus in amici gratiam non detrectabis, mihique viciſſim ſenſum tuum de his

de his lectionibus meis Plautinis ſignificabis. Prologo Amphitruonis facetè ludit hiſtrio, cui partes Mercurii datæ. nam & deum ſe dicit & deo natum, & malam tamen rem nihilo minus, quam quivis mortalium, metuere: quia videlicet ille Jupiter, cujus ipſe ſit filius, hoc eſt hiſtrio iſte Jovem agens, ſit aliquis ſervus vel certè de vilioribus, qui in ſcenas operam ſuam locare ſoliti. Inter cetera hæc ibi ſunt: *Atque ego quoque etiam, qui Jovis ſum filius, Contagione mea matris metuo malum.* Itaque repreſentant nobis libri cuſi, & illi quoque etiam, quos Douſica commendat recenſio. quo magis miratus fui ſæpe Criticorum noſtrûm indiligentiam, eorum inquam qui poſt primam & diligentiſſimam magni illius Camerarii diligentiam aliquid in Plauto corrigendo operæ poſuerunt, qui cum ſæpe conjecturas hominum eruditorum minimè, veras vel certè perquam dubias in contextum Plautinum recipere auſi fuerint, variantes illas lectiones cum fide ex Sambuci & Langii libris repræſentatas tam ſupina neglegentia prætergierunt. Si enim Plauti editores tantùm ſibi temporis ſumendum exiſtimaſſent, quod ad deſcribendas Langii & Sambuci lectiones opus fuerat, & hunc locum ſaniorem nobis dediſſent, & ſæpe alias minorem nobis de indiligentia tanta conquerendi materiam reliquiſſent. quod quia ab ipſis factum non eſt, nos tamquam ſuccidanei illorum vicem quæ præterita fuerant ſarciemus. In laudato itaque loco ex Sambuci libris legendum: Contagione mei patris m. m. quod & membranæ Camerarianæ adgnoſcunt. Nihil enim de matre anteceſſerat, ſicut de patre, quem humano patre natum non minus quam quemvis ſibi prætimere dixerat. Similiter latæ culpæ mihi inſimulandi iidem editores ſuper loco qui extremo Prologo:

Nunc

Nunc hodie Amphitruo veniet huc ab exercitu,
Et Soſia ſervos, cujus ergo hanc fero imaginem.
Nunc internoſſe ut vos poſſitis facilius,
Ego has habebo hic uſque in petaſo pinnulas.

Si enim Langianorum librorum ſcripturam conſiderare non pigraſſent, haud dubie verſu tertio pro *vos*, *nos*, legeremus. quod & in Camerariano eſt manuſcripto, nec Fruteriana interpolatione uſus fuerit, ut *Hunc* pro *Nunc* legamus. Sic Curcul. act.4. ſc. 1. *volgant*: [Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam, Et qui ipſi ſat habent, quod ipſis poſſit verè dicier.] Sed confirmat Camerarii codex Langianorum ſcripturam: *quod in ſe poſ. v.d.* quod ſanè elegantius taceri ab illis minimè oportuit. In aliquem dicere, quam venuſtè dicatur, non neceſſe habeo multis docere. Catull.

In te, ſi in quemquam, dici pote putide Vecti,
Id quod verboſis dicitur & fatuis.

Moſtellar. [Si quid tu in illum bene voles loqui, id loqui licebit.] Nec volo hic alia eorumdem peccata adpingere, præter unicum Ciſtellariæ locum in Prologo, cum editum fuit:

——— ei rei nunc ſuam
Operam uſque ſervus dat, ſi poſſiet
Meretricem illam invenire. ———

Verſus medius uno pede defectus ambulat, cui ſic mederi voluit Douſa filius, eruditiſſimus juvenis: *Si poſſit uſpiam.* Sed idem quin ad Langianos libros conſultum ivit? facile fuiſſet inde verſum reſtituere ad hanc faciem: *Operam uſque adſiduo ſervus dat ſi poſſiet.* potius quam ut talem farcturam comminiſceremur; quam nos illuc jam, unde malum pedem attulit, abire porrò volumus, cum præſertim Camerarii membranæ paria cum Langianis faciant.

faciant. Nec illud prӕteritum ut opinor oportuit. Eadem Ciſtellar. act. 2. ſc. 2. ubi volgatur:

Quot illi blanditias, quid illi promiſi boni?
Quot admovi illi fabricas? quot fallacias?

in Langianis legi: *Quot ad me nivi fabricas!* Sed videlicet numquam illa Douſa F. viderat: nam ſi vidiſſet, dejerare auſim & quovis pignore contendere, illum quo eſt ingenii acumine ocius correcturum fuiſſe: *Quot admœnivi fabricas?* Admœnire dixit pro ad mœnia admovere. tralatione ab urbium & caſtellorum expugnatione more comico ſumtâ. Sic Phӕdrus Admovere alicui preces dixit. Videndӕ in eum ſcriptorem notӕ doctiſſ. & amiciſſ. Rittershuſii mei. In Pſeudolo, admœnire opidum dixit pro obſidere.

EPISTULA IV.

HENRICO BOCKIO SUO, BORUSSO.

AT neque tu mihi ſic ſubterfugeris, nec ego te, ut Patavio vel Romam uſque profugias, non fatigabo, in recenſendis iis, quӕ hodie in Apulejum illum Madaurenſem enotaveram. Cave autem, cave, ne principium ſtatim meӕ hujuſce epiſtulӕ te ad nequitiam inter Italas illas Sirenas abducat, neu ſit quӕ animum tuum illis amorum pedicis attineat. Non tu illarum vinnulas & delenificas voces audies, ſi me audies. Fotidem tamen Apulejanam auſculta, quàm prolixè ſua Apulejo officia offerat lib. 2. de Aſino: [Nam ego tibi mutuâ voluntate mancipata ſum, nec voluptas noſtra differetur ulterius, ſed primâ face cubiculum tuum adiero. Abi ergò

ergò ac te præpara. Totâ enim nocte tecum fortiter & ex animo præliabor.] Audin tu ut operâ larga eſt nocturnâ, ut dicacula? Pro *adiero* tamen lege ex ſchedis veteribus *adero.* quod putares mutatum ab iis, qui tantum ſapiebant, quantum nuper in Veriſimilibus præceptores olim mei. Habes, opinor, Giphanii noſtri Indicem Lucretianum, eum vide in *Adheret* & *Adjacere*, unde lectionem meam defendes. Vide eumdem in *Animus*, ubi ait *Ex animo* valere apud Lucretium ſtudiosè & promptè, ac hilari animo & quaſi cum magnâ voluptate, laudatque verſus hos:

Hoc etiam faciunt, ubi diſcubuêre, tenentque
Pocula ſæpe homines, & inumbrant ora coronis,
Ex animo ut dicant, brevis hic eſt fructus homullis,
Jam fuerit, neque poſt umquam revocare licebit.

Quibus alium ejuſdem Lucretii locum huic Apulejano perſimilem & penè geminum adpingo:

Nec mulier ſemper ficto ſuſpirat amore,
Quæ complexa viri cum corpus corpore jungit,
Et tenet adſuctis humectans oſcula labris.
Nam facit ex animo ſæpè, & communia quærens
Gaudia, ſollicitat ſpatium decurrere amoris.

Scio, quam non ſis harum rerum, & honeſtum animum tuum Ingelſtadii multis argumentis perſpexi: & ex morum noſtrorum ſtudiorumque ſimilitudine factum, ut conjunctiſſimè una viveremus diuque eodem convictu ſuaviſſimè uteremur. Nec enim eramus ii, qui à poëta veteri deſcribuntur:

—— animus quorum atroci junctu malitia eſt
Compoſita dicta è pectore evolvunt ſuo.
Quæ cum componas dicta factis, diſcrepant,

qualesque in me perfidi illi Hybridæ, tergeminus inquam Entellus. Sed tu mecum reliqua in Apulejum

lejum conſidera. Paullò poſt cum v. l. legendum puto: [Hæc enim Sitarchia navigio Veneris indiget ſola, ut in nocte pervigili & oleo lucerna & vino calix abundet.] Et ſtatim pòſt ubi cum Pamphile imbrem craſtinum ex lucernâ prædixiſſet, ſubicit Milo: [Grandem iſtam Lucernæ Sibyllam paſcimus, quæ cuncta cœli negotia & ſolem ipſum de ſpecula candelabri contuetur.] Quæ illa Sibylla ſit neſcio; illud ſcio in mſ. eſſe: *lucerna Fibram.* quod valde dubito, ſi retinendum ſit, velut alioquin fibras deorum conſcias dicit Tibullus, quod ex iis de deorum voluntate conjicerent. Sequitur eâdem paginâ. [Cerdo quidam nomine negotiator acceſſit, eum diem commodum peregrinationi cupiens.] Illud *nomine* Stewechius à malâ manu eſſe ſuſpicatur, & à nebulone quodam adſutum: ſed quia tamen in omnibus libris comparet, malim interpolatione timidâ *domini* reſcribillare. Domini negotiator, qui negotia domini ſui gerebat. notum enim ex Juris noſtri libris, ſervos etiam eſſe negotiatiores, & atrienſes, actores l. 65. D. de legat. 3. l. 49. D. pro ſocio. Niſi quis fortè cum Grutero meo malit: *Cerdo quidam homo*, quem operæ erit videre. l.4. ſuſpic. cap. 2. Deinde etiam lego cum mſ. [Eum diem com. pereg. ſibi cupiens prævidere.] Poſtea: Hoſtes, inquit, & omnes inimici noſtri tam duram, imò verò Ulyſſeam peregrinationem incidant.] Lege jubente mſ. *diram* & rationem quoque facilè intellegis. Ibidem: [Siſque felix & iter dextrum porrigas.] Corrigo ex v. l. *dexter porrigas.*

EPI-

EPISTULA V.

BALDASARI RITTERSHUSIO.

NOn ingratum apud te fuiſſe, Vir ſpectatiſſime, quem dono miſi, Veriſimilium meorum libellum, tam mihi gratum accidit, quàm quod gratiſſimum. Et ego mihi ſane gaudeo, quod non filio ſolum tuo Cunrado Rittershuſio Juriſconſulto & hoſpiti meo cariſſimo familiariter uti mihi contigit, ſed & tibi quoque viro eruditionis & gravitatis ſpectato meos qualescumque labores probare potuerim. quo magis faciundum mihi putavi, ut in his Suſpectarum lectionum libris, quos magnam partem bibliothecâ filii tui adjutus perfeci, nonnullas emendatiunculas judicii tui facerem, cum ſpe, ut quo tibi probabuntur impenſiùs, eo ego ad plura ſimilia exefficienda alacrior ſim futurus. Moſtellaria act. I. ſc. 3. cum adoleſcens Philolaches diu colloquium amicæ ſuæ cum vetula auſcultaſſet & ſermones eorum ex occulto ſublegiſſit, ſe ipſo tamdem, quòd tamdiu ſe continere, quin in vocem prorumperet, potuerit, reprehenſo ad illas accedit eaſque colloquitur. verba ſunt:

—— nimis diu abſtineo manum. Quid hic vos duæ agitis? ——

Ego priore verſu jubentibus duobus ſcriptis Camerarii libris lego: *abſtineo manu*. Abſtinere manu alicujus eſt ab aliquo abeſſe, non accedere ad aliquem. Contrarium, Adire manum alicui, pro ad aliquem adgredi: quod ſæpe in Plauto reperias. Eâdem ſcenâ idem ille adoleſcens deſiderium & amores ſuos brachiis, ut apparet, complexus invidiam & faſcinum huic tantæ venuſtati & felicitati ſuæ deprecatur his ipſis verbis:

Qui

Qui invident, ne umquam eorum quiſquam invideat
prorſus commodis.

Optat, ut nemo iis umquam invidere poſſit, id eſt, ut miſerrimi ſint ſemper, qui hoc bonum ſibi invideant. Ceterum in iiſdem illis libris non *prorſus* ſed, *probus*, legitur. quod ſine dubio depravatum eſt. nam nemo probus eſt invidus. neſcio legendum ne ſit: *probis commodis*. Et ita erit dictum ſicut illud Pœnulo: *Et libertatem & multas gratas gratias*. nam Probus apud Plautum idem ſæpè; quod Commodus, oportunus alicui. Milit. [Probus hic conger frigidus.] Pœnul. [Probus ad iſtas res] Caſin. [Nunc occaſio proba eſt.] Eodem modo infra hac eadem fabula uſurpaverat Plautus (niſi me fallit mea ſuſpicio) ſed locus hodie in mendo cubat: quem quia ſatis eſt difficilis totum propono. act. 2. ſcen. 1.

PHILO. *In tuam cuſtodiam me & meas ſpes trado, Tranio.*

TR. *Pluma haud intereſt, patronus an cliens propior ſiet*
Homini, cui nulla in pectore eſt audacia.
Nam cuivis homini vel optumo, vel peſſumo,
Quamvis deſubito facile eſt facere nequiter.

Lambinus verſu ſecundo pro *propior* mavolt, *potius*. q. d. nihil intereſt, utrum quis ſit patronus, an cliens, quod ad illum hominem attinet, in cujus animo nulla eſt audacia. qua tamen interpretatione nihilo ſum factus doctior. Ego malui: *probior*. nihil refert, patronus ne an cliens timidus, commodior ſit homini. Si habeam patronum timidum, ſi clientem timidum, neuter altero magis mihi proderit, non hic probior mihi erit, quàm iſte. Verba iſta: cui nulla in pectore eſt audacia; ad patronum & clientem referri oportet, non ad

vocem *Homini*, quæ generatim poſita eſt pro alicui. Innuit autem ſervus patronum, cui ſit audacia in pectore, homini eſſe commodiorem, ei ſcilicet quem defendendum ſibi ſuſceperit. Siquis ſit timidus, nihil intererit, ſive patronus ſit ſive cliens, talis enim nemini probus eſt ſive prodeſt. Venio nunc ad ſcenam actus primi ultimam, in qua adoleſcens ebrius inducitur, cum meretrice, quæ amatorem ſuum probe madidum & vix conſiſtentem ſuſtinet. Ibi & hæc ſunt:

> CA. *Sine cadere me.* DE. *Sino: ſed & hoc quod mihi in manu eſt.*
> *Si cades, non cades, quin cadam tecum.*
> *Jacentes tollet poſtea nos ambos aliquis.*

Lambinus neſcio quid rei ſubturpiculæ manibus tenuiſſe meretricem ſuſpicatur; Adeò verum illud eſt, Impuris omnia eſſe ſpurca & obſcena. Faciemus autem, ne præterhac mollibus iſtis aliquid hic molle & impudicum latere in mentem veniat. Primum cum duobus libris ſcriptis lego: *ſino ſine cadere me.* Poſteriùs certiſſimâ conjecturâ verſum primum non puncto, ſed commate claudendum & diſtinguendum putamus. q. d. meretrix: Sinam te quidem cadere, ſi ita vis, ſed & hoc ſino, ſive, & hoc oportet fieri, quod in mea manu & poteſtate eſt, ut nimirum te cadente cadam & ipſa. Hoc oculis in Venerem putribus & petulantibus glaucomam objecit, quod in manu alicujus pro in poteſtate eſſe venuſtè dictum non adverterunt. Scena ſequenti: Jupiter ſupremus. *abripite hunc intro actutum inter manus.* Inter manus volgo interpretantur, per manus, à Pſeudo Servio edito decepti, qui ad illum 2. Æneid. verſum:

> *Namque manus inter mœſtorumque ora parentum.*

Mutavit (inquit) *accentum præpoſitio poſtpoſita. Sane*

Inter

Inter, plerumque pro Per ponitur, ſed raro apud Virgilium, ut: Hanc inter fluvio Tyberinus amœno. Sed Servius ille cujus ſchedæ apud me ſunt triplo illæ locupletiores & emendatiores, quàm ſit volgò editus, ſic nobis exhibet: *Sanè Inter plerumque præponitur* &c. Veriſſimè. volt enim docere τὸ *Inter* ſæpius apud Virgilium poſtponi, & ad eam rem exemplum continuò producit, ut illud heic omittam interim, hanc interpretationem, quæ eſt in volgatis libris, à toto illo loco abhorrere. Sic Phædrus de tibicine qui crure fracto domum ablatus fuit:

Inter manus ſublatus & multum gemens Domum refertur.

EPISTULA VI.

JACOBO SCHECKIO I. N. JURISCONS.

FEcerim ne operæ pretium in his pauculis Mileſiarum ſcriptoris locis emendandis tui facio judicii, Schecci doctiſſime. Libro 2. de Aſino lego ex v. l. [Tamdem expergitus & nimio pavore perterritus, cadaver accurro, & amoto linteo revelataque ejus facie rimabar ſingula, quæ cuncta convenerant.] Sed editiones habent *admoto lumine revelataque*: quod ego verum non puto, cùm quòd vetus liber contra ſtat, tum quòd lucernam de ſummo cubiculi dependiſſe veriſimile eſt. Pag. ſequenti: [Sic ille ſenior lamentabiles queſtus ſingulis inſtrepebat.] Non me hercle malè doctiſſ. Stewechius: *ſingultibus interſtrepebat.* At ego religioſiùs obſervatis ſcripturæ receptæ veſtigiis jam olim corrigebam: *ſingultim ſtrepebat*, quod me facilè tibi probaturum confido. Non multò poſt:

[Qui mecum jam dudum grandi pecunia pepigit reducere ab inferis ſpiritum, corpuſque iſtud poſtliminio mortis animare.] Non debuit, ut ipſe exiſtimabis, omitti particula, quæ in mſ. comparet, legendumque *reducere pauliſper ab inferis*. Immediatè ſequentia ſic ex ſcripto codice conſtituto: [Et cum dicto juvenem quempiam lineis amiculis intectum, pedesque palmeis baxeis inductum & adusque deraſo capite producit in medium.] Et paullò pòſt malo ex eodem v. l. *Jam ſpiritûs corpus impleri.* Et hic infra principio lib. 3. *Turba miſcellanea cuncta completa.* Volgo ſpiritu. Sed illud antiquarium magis Apulejo Plauti ſtudioſo convenire exiſtimem. Statim poſt illa verba in editionibus ſequitur: [Malis novæ nuptæ peremptus artibus, & addictus noxio poculo, torum repente adultero mancipavi.] Scribe mecum: *torum tepentem.* Extremo hoc libro 2. tres etiamnum mendas ſuperare video, quas volentibus ſchedis veteribus eluam. Volgò quidem legas: [Dumque jam junctim proximamus, ecce tres quidam vegetis & vaſtulis corporib. fores noſtras & ſummis virib. irruentes, ac ne præſentia quidem noſtra tantillum conterriti, ſed magis magisque cum æmulatione virium crebriùs inſultantes.] Loquitur de utribus tribus, qui vi artis magicæ animati certabant domum Milonis ingredi. Locum totum ſic legendum eſſe pronuntio: [Dumque jam in vicum prox. ecce t. quidem utres & vaſtul. c. f. noſtras ex ſummis virib. ir. a. n. p. q. n. t. c. ſed m. magisque cumulatione virium crebriùs inſultantes.] Futurum reor, Jacobe Schecci, ut vel unius hujus loci emaculatione ceteræ quoque quamvis leviculæ in ſpeciem tibi meliores videantur.

EPISTULA VII.
MELIORI KOCHIO FRANCO.

HÆc noſtra in Plautum paucula & perquam levia à te, Melior elegantiſſime, percenſeri velim. qui ſicut ad ceteras res judicio nimium vales, ſic vel hoc in ſtudio illa etiam, quæ faciem cum videas leviuſcula apparent, nequaquam tamen ſilentio involvenda cenſes. cum tam levia præſertim avidè ſæpe viris magnis captata eorum tamen diligentiam vel acumen effugerint. Amphitr. act. 1. ſc. 1. [ME. quid ais? quod nomen tibi eſt? SO. Soſiam vocant Thebani, Davo prognatum patre.] Ecquem ex iis harum literarum ſtudioſis futurum cenſes, qui non tam bonis libris, atque ipſe ſum, uſus ſi foret, membranarum lectionem ſequi præoptaſſet, ut heic nimirum, *quid nomen*, reponeret? Ego qui ſic inveni tacendum hoc mihi minime putavi. Cum etiam Plauto ſuam quaſi hanc phraſin animadverterim. Menæch. act. 2. ſc. 1. [Rogant Cujatis ſit, quid ei nomen ſiet.] Pſeudol. act. 2. ſc. 2. [Sed quid eſt tibi nomen? PS. ſervus eſt huic lenoni Syrus, Eum eſſe me dicam, Syrus ſum. HA. Syrus? PS. id eſt nomen mihi.] Et act. 2. ſc. 4. [Sed quid nomen eſſe dicam ego iſti ſervo? CH. Simiæ.] Moſtellar. act. 3. ſcen. 1. verſ. 131. [Dicam, ſed nomen domini quæro quid ſiet.] Sic ibi ex manuſcripto Camerarii codice reſtituo, ubi edunt: *nomen hominis quæro quod ſiet.* Sic Rudente act. 4. ſc. 4. Scriptum fuit in utroque mſſ. [Dic in enſiculo quid nomen eſt paternum: PA. Dæmones.] Eadem Amphitr. ſcena 2. act. 2. [Non

tu ſcis, bacchæ bacchanti ſi velis adverſarier, Ex inſana inſaniorem facies, feriet ſæpius. Si obſequare, una reſolvas plaga.] Proclivus ad interpretandum locus, *ſed Gallicano interpreti non intellectus tamen. Nunc audi ſis Oedipum qui Sphingi interpres cluit, hoc eſt, Lambinum verba illa interpretantem. *Una plaga*, inquit, *illata inſaniam ejus lenias, uno ictu incuſſo ejus iracundiæ medearis.* Enimverò retineri nequeo, quin dicam, quæ animus jubet. Præter ſpeciem interdum Lambine ſtultus es. Non enim hoc volt Plautus, quod mulierem inſanam, quæque obvios quoſque ferire ſeu verberare ſolet, uno ictu ſanare poſſis. Sed quod, ſi ipſi obſequaris, adeo ipſam moderatione tua lenire queas, ut non niſi ſemel te feriat. quare perſpicuum jam, legi oportere; *Unâ te ſolvas plagâ.* Baccha furibunda obvios quoſque verberat. ſed ſi obſequare ipſi, una tantum plaga te ſolvere & liberare ab ipſa poteris: nec ſæpius te feriet. Hanc veram eſſe loci hujus ſententiam omnes harum literarum ſtudioſi vident, quamvis ut poſtea comperi, Muretus malit: *Una te abſolvas plagâ.* Sequitur eâdem fabulæ eiusdem ſcenâ verſ. 216.

Am. *Delinitus ſum profectò ita, ut me qui ſim neſciam.*
So. *Amphitruo es profecto, caveſis ne tu te uſu perduis.*
Ita nunc homines immutamur, poſtquam peregrè advenimus.

Mora mera ſit apud te tuique ſimiles homines doctos & ingenioſos lectionem meam multis inculcare: *Ita nunc omnes immutamur.* & quivis locum paullò diligentius conſiderans rectè à me emendatum profitebitur. Omnes, ſcilicet qui hinc ad bellum

bellum iveramus. Act. 3. ſc. 2. Alcumena immeritiſſimo ſuo ſtupri & dedecoris à ſuo ſibi marito Amphitruone inſimulata, tantæ contumeliæ impatiens, ita ut honeſtam æquum fuit: à Pſeud Amphitruone Jove, quem illa minime mala maritum credebat ſuum, ancillas ſibi dari poſtulat, quibus comitata rectè domo conjugis deſerta ad patrem ſuum revorteretur. Verba ſunt:

Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.
Juben' mi ire comites. Iv. *Sanan' es?* AL. *Si non jubes*
Ibo egomet, comitem pudicitiam duxero.

Ceterum Langiani libri nonnihil diſcrepant, nobiſque ſic ſcripta illa exhibent:

Juben mihi comites? Iv. *ſanan es?* AL. *ſi non jubes*
Sinibo egomet comitem mihi p.

Unde ego neſcio quam verè, certè veriſimiliter conjeci:

Juben mihi comites? Iv. *ſanan es?* AL. *ſin, ibo ego,*
Mecum comitem mihi pudicitiam duxero.

Dejerare auſim verba illa: *ſi non jubes*, eſſe gloſſema & explicationem particulæ, *Sin.* Pro *Egomet comitem* feci, *ego mecum comitem.* Syllaba com. vel cum, abſorpta fuerat, ut alibi ſimilibus exemplis doceo. Simili modo peccatum fuit Rudente act. 3. ſc. 4. *Cum conjecturam egomet mecum facio, hac illa eſt ſimia.* Legendum enim docet verſus: *Ego mecum facio.* τὸ *met* ex *mecum*, repetitum fuerat, ſicut in altero loco τὸ *cum.* Mecum mihi, elegans Pleonaſmus & Plauti ſcenâ dignus, ſicut *Meus mihi* pro meus, *Suus ſibi* pro ſuus innumeris locis. *Sin*, conciſe poſitum ut & *ſin autem.* Incertus auctor in Priapeiis carm. 31.

Donec proterva nil mihi manu carpes,
Licebit ipſâ ſis pudicior Veſtâ.
Sin; hæc mei te ventris arma laxabunt,
Exire ut ipſa de tuo queas cunno.

Sin; ſubaudi, aliquid ex horto meo decerpſeris. Invitus equidem & præter animi hercle ſententiam ad carmen hoc heic explicandum adgredior, ſed neque ſi id faciam, ſine more & exemplo virorum doctiſſimorum fecero, neque mores meos alii ex hoc facinore æſtimabunt. noſti tu, norunt denique omnes qui me non ignorant, quàm non ſim iſtarum artium, meque non minus ab illa Divarum turpiſſima, Aphrodite inquam; quàm à Baccho abhorrere. Ego citra pudoris & pudicitiæ jacturam (ſic enim à parentibus & magiſtris meis factus ſum) ea aliis interpretari poſſum, quæ multi non niſi putribus & patrantibus ocellis adſpiciant. quare vos ſalaces & pruriginoſi patres, Bonum factum ut pallio caput operti (id quod in re mollicula ac parum ſevera Socrates feciſſe dicitur) procul hinc quantum poteſt amoliamini. Mihi enim de repræſentato ſuperius loco plura proponere definitum eſt. Jupiter itaque Diique ceteri facinus maximum cluent feciſſe, quod Pelopi humerum eburneum carnei vicem reſtituerint. nugas maximas fuiſſe reor, præut ego nunc ſequiori ſexui, mulieribus inquam, id reſtitui, quo ſunt quod ſunt; cunnum ſcilicet, quo nunc ſæcula aliquot culo contentæ caruerunt. In iſto enim carmine in omnibus editionibus, Scaligeræâ quoque, *culo* legitur. quod tamen invitis mulieribus fieri intellegis. nam Priapus puellam ibi adloquitur; numquam autem in toto illo opere obſcæno aliud ſibi quicquam à puellis dari poſtulat, quam illam rem, cujus nomen poſſedit nobiliſſimus

ille fidicen, qui Socratem fidibus docuiſſe dicitur. Audi ipſum Priapum quales edictiones habeat. Sic itaque infit alibi peculiatus iſte hortorum prætor:

Femina ſi furtum faciet mihi, virque, puerque:
Hæc cunnum, caput hic, præbeat ille nates.

Et rurſum:

Præcidère puer, moneo; futuère puella,
Barbatum furem tertia pœna manet.

Poſſem alia numero plura indidem adducere; ſed quia te emendationem illam probaturum jam ſpero, & ipſum me horum ſpurcidicorum immemorabilium verſuum pœnitet: Illud potius agamus, ut elegantem uſum particulæ iſtius *ſin*, conciſè poſitæ ſtudioſis magis inculcemus, Sic itaque & Cicero lib. 10. ad Attic. epiſt. 6. [Si vir eſſe volet, præclara ευνοιδια: ſin autem; erimus nos qui ſolemus.] Et lib. 16. ad eumdem. Verumtamen ſi pares æquè inter ſe, quieſcendum. ſin; latius manabit & quidem ad nos deinde communiter.] Manilius libro quarto: [Incipimus ſi verba, piget: ſin; gratia deerit.] Rurſum Cicero epiſtularum famil. lib. 12. epiſt. 6. [Brutus enim Mutinæ vix jam ſuſtinebat. qui ſi conſervatus erit, vicimus: ſin; quod DI omen avertant, omnis omnium curſus eſt ad vos.] Sic putabam olim Criticorum ſolemnia inſaniens apud Plautum in his verſibus Caſin. Sc. Face Chaline.

Poſtremò, ſi illud quod volumus evenit, gaudebimus:
Sin ſecus, patiemur animis æquis. CH. *tene ſortem, tene.*

putabam inquam reſcribi poſſe, ut ſit verſus Jambicus Septenarius: [Sin; æquis patiemur animis. CH. tene ſortem tibi.] & ſanè potuit ex *æquis* facile *ſecus* fieri. nam ferè ſemper in ſcriptis antiquis

quis libris non *aequum* ſed *acum* reperio. Quod *Tene*, præ *tibi*, repudiavi, in cauſſa ſunt Camerarii & Langii membranæ, quæ *ſortem tene tibi*, nobis exhibent. Itaque & Ciſtellar. act. 4. ſc. ult. ſcribendum exiſtimo jubentibus Langianis libris: [PH. Quid ſit Lampadio? LA. quod tuum eſt tene tibi.] cum volgò editum & in Camerariano quoque perſcriptum ſit: *quod tuum eſt teneas tuum.* Sic Truculent. Sc. Ne exſpectetis. [Attuli duas Ponto amœnas. tene tibi, voluptas mea.] Ceterum de iſto Caſinæ loco nihil adſevero. Mihi ſat erit eamdem conciſam phraſin Policratico Johannis Sariſberienſis libro ſupra ævi illius morem erudito reſtituere. Sic itaque apud illum edidit nobis Raphelengius in colloquio illo Pontificis & ipſius Sariſberienſis lib. 6. cap. 24. [Vereor enim, ne mendacii vel adulationis contraham notam, ſi ſolus populo contradixero. Sin autem reatum vereor majeſtatis, ne tamquam qui os meum in cœlum poſuerim, crucem videar meruiſſe.] Cùm tamen nemo ſit adeò fungus, quin interpungi oportere videat: *Sin autem; reatum vereor* &c. q. d. Si populo de Papa conquerenti contradixero, adulatorem me dicent; ſin autem eidem adſenſus fuero, & Pontificem cum aliis incuſavero, imminutæ majeſtatis reus ero.

Epistula VIII.

JANO GRUTERO SUO, JURISCONS.

MUltum te amo, Grutere, ut tantum tibi tuisque ſeriis ſuffurari velis, quantum ad correctiunculam unam alteramque arbitrandam ſat ſit. Adduxiſti libro ſuſpicionum tuarum quarto cap. 2. Apuleji locum ex lib. 1. de Aſino: qui vulgò quidem & in eo quo ego uſus mſ. optimo ſic legitur: *En inquam, explere latice fontis lacteo. Adſurgit & opertus paululum planiorem marginem complicitus in genua appronat ſe avidus affectans poculum.*] Iſtudque *lacteo* mendi ſuſpicis non injuriâ, cùm quod mſſ. libri habeant vel *laceto* vel *laqueo*, tum quia latex iſte lacteus minimè fuit, cum præceſſerit æmulum fuiſſe argento vel vitro in colorem: corrigisque *latice fontis tacitò adſurgit; & op.* Ignoſcas mihi pro noſtra amicitia, Grutere, tecum ſentire non poſſum, non quò meliùs me aliquid inveniſſe ſperem, ſed quod illud *Tacitò* non magnæ ſanè rei inibi loci videtur. Mea divinatio quamvis auctori ſuo, contra quam fieri amat, placeat minùs, tibi tamen ut homini amiciſſimo fortean magis ſe probare poterit. Ductum itaque literarum curioſius contemplatus ex *fontis laqueo* coniciebam: *fontis: Ille atque adſurgit & op.* &c. Putabamque, *atque* pro ſtatim, è veſtigio veterum more poſitum, quod nec Apuleius abhorruit. nam paullò ante dixerat: [*Eumque avidè eſitantem adſpiciens, aliquantò intentiore acie atque pallore buxeo deficientem video.*] Leget fortè hoc quis etiam, non nimis harum literarum doctus. cujus gratia unicum tantum Plauti locum mantiſſæ vicem

vicem adpingo ex Bacchidibus : *Dum circumſpecto, atque ego tum lembum conſpicor.* Æſtima quoque quantivis pretii ſit emendatiuncula hæc mea quæ hodie mihi in mentem venit. Apud eumdem Lucium noſtrum non multò à principio lib. 3. de Aſino impreſſum eſt : [*Tandem pererratis plateis omnibus, & in modum eorum, qui Luſtralibus piamentis minas portentorum hoſtiis circumforaneis expiant, circumductus angulatim forum, ejusque tribunal adſtituor :* Scio popularem tuum erudítiſſimum Stewechium emendaſſe : *forum usque trib. ad.* mihi tamen animus inclinat reſcribillare : *angulatim in forum & usque tr. ad.* minimum certè abivi à receptæ lectionis veſtigiis. dum ex poſtrema adverbii illius litera *m*, feci in, ac pro i, ſcribſi t. Taceo quod jam ſermo hic minus lædet aures delicatas. Sequitur ibidem : [*Heus pueri, inquit, maribus animis & viribus alacribus dormientes adgrediamur.*] Pro illo *inquit* in ſuo libro Colvinus teſtatur fuiſſe, *quam.* In Bertiniano reperi *quin.* Unde ſuſpicatus non de nihilo fui reponendum, *quin.* quæ adhortantis eſt particula. Et ſtatim poſt de latronibus, quos à ſe interfectos narrat Lucius : [*Gladiolo, qui me propter hujusmodi pericula comitabatur, armatos (ſubintell. latrones) fugare atque proterrere adgreſſus ſum.*] Non ſolicitarem hunc locum absque manuſcripto foret, in quo *perterrere* legas : ſanè bene. Sicut *abſterrere*, pro abigere, arcere, depellere veteribus illis frequentatur. Sic & perterrere quod ſæpiculè tamen in proterrere à ſciolis immutatum. Sic Cicero in pro Cæcinna: [*Is qui armis perterritus, fugatus, pulſus eſt, non videtur eſſe dejectus.*] Et rurſus : [*Deceſſi unius hominis telo perterritus, dejectus detruſusque ſum.*] Et Hirtius de bell. Hiſpan. [*Suo loco perterritus eſt, quod equites ex Italia &c.*] Sed in eo loco conſtituendo non operoſa

eſt

eſt opera mea; paullò penſior in iis, quæ ſtatim ſubjunguntur verbis: [*Ipſe denique dux & ſignifer ceterorum, validiſſime viribus adgreſſus, illicò manibus ambabus capillo abreptum ac retrò flexum, effligere lapide geſtit, quem dum ſibi porrigi flagitat, certa manu percuſſum feliciter proſterno.*] Locum illum ferè totum de pugna verè caprina adſcribere non pigitum eſt, cùm quod ſatis ab ſe ſit obſcurus, tum quod nonnihil variet ſcriptus Codex, ut mox ſignificabo. Lib. 6. cap. 6. ſuſpic. vidiſti tu quidem, quo es acumine, legendum eſſe: *validis me viribus.* Nec ego non probo, ſi quod mihi eſt judicium. Scias tamen velim, me olim, propterea quod vox *viribus* ab omnibus libris abeſſet, maluiſſe: *validiſſime me adgreſſ.* quæ mea conjectura non omninò, ut arbitror, me fefellit; ſed taceri fortè poterat, præ eo, quod addo, pro *effligere*, reperiſſe me in optimo codice illo ſcripto Cœnobii Bertiniani, *effingere.* quam ſi retinebimus, interpretabimur opinor ex illo Plauti loco Amph. ſc. 1. *Alia forma eſſe oportet quem tu pugne legeris.* So. *Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo.* Niſi fortè ideo ſic dictum arbitrabimur quia *fingere* nonnumquam eſt leviter tergere & demulcere, ut ita per quandam velut Ironiam contrarium innuere voluerit Apulejus. Sic Afran.

Accedo ad te ut tibi cervicem fingam linteo.

Et Servius ad iſtos Virgilii verſus 8. Æneidos:

Procubuiſſe lupam geminosque huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impavidos: illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.

Id eſt, tergere, inquit Servius. Cicero in Sextiana, *Spongiis ſanguis effingebatur*, id eſt, tergebatur.

EPISTULA IX.

THEODORO à SENDEN.

EGo autem doctiſſimo Hannieli noſtro proxenetici nomine debere me profiteor, qui te mihi quidem hominem cum iſtis virtutibus eaque eruditione excultum conciliare voluit. nec comittam, ut de conjunctione noſtra plus ille tibi, quam mihi amari videatur. Unum illud permihi moleſtum accidit, quod ſpe & opinione noſtra feriùs coram nos in re præſenti, ut metuo, invicem complectemur. nam de Gallia, quò Principem tuum Illuſtriſſimum cogitare intellego, incertum nimis negotium eſt. Me quidem, ſi patris mei conſilium ſequi voluiſſem jam anno iſtic eſſe oportuit. nunc autem omnes fere res rationesque meas commutavi, quo vereor magis, ut tam cito illo jam olim deſiderato conſpectu veſtro frui poſſim. Interim igitur frequentiorem literis ultro citroque miſſiculandis operam navabimus. atque ita nunc hæc in Plautum à me hodie collecta ad te mittere volui, ut haberes quod te Scioppii tui magis in mentem revocaret. Epidico act. I. ſc. I. eleganter nobis depingit ſolicitudinem ſervi Epidici, qui herili filio ita ut juſſerat, interim dum ipſe militiam militat, fidicinam de lenone animi cauſſa redemerat. ubi enim ex conſervo ſuo intellexit, eumdem illum herilem filium interim animum à fidicina averſum ad alios amores appuliſſe, ſuam fallaciam priorem, qua fidicinam repererat, incaſſum cecidiſſe, ſibi denique nunc novos labores multoque improbiores ſuſcipiendos eſſe, quid ſe futurum tamdem ſit non vanus augur ariolatur, iſtuc nimirum eundem ſibi, ubi vivos homines mortui boves (velut alibi piſtrinum deſcribitur)

bitur) incurſare ſoleant. Inter cetera, quibus angorem declarat ſuum, hæc ibi leguntur: *heu edepol res turbulenta eſt.* quæ tamen, ſi operam dare voles, longè tibi venuſtiora & Plauti ſcenâ digniora dedero. Legendum itaque, ut Langiani libri exhibent: *heu edepol res turbulentas!* quod tam ſcio à Plauto ſcriptum eſſe, quàm me vivere. quid enim? an non & alibi ad hanc faciem alia Plautus? hercle vero ſeriò. Vel hunc ex Milite locum mecum ſis contemplare act. 4. ſc. 2. ubi miles de amore & ſui copia à muliere rogatus ſic ſervum ſuum increpat:

Heu hercle odioſas res, quotiens hoc tibi, verbero, ego interdixi,
Meam ne ſic vulgo pollicereris operam?

Certa igitur jam iſtæc emendatio, non tam quam nunc ſubjungo. Scen. ſeq.

Hercle miſerum eſt, ingratum eſſe hominem, id quod facias bene.

qua orationem hanc defendam vel explicem commode non inveni, niſi ſi fortè legi debeat: *ingratum eſſe homini.* Verſu qui ſequitur ſtatim.

Deſipiebam mentis, cum illas ſcriptas mittebam tibi.

rara hæc phraſis, *Deſipere mentis*, quam non temere apud quemquam Scriptorum veterum reperiri putem, niſi in illa Symmachi epiſtula, quam ego numquam ante publicatam libro Veriſimilium primo cap. XI. princeps involgavi, in qua Symmachus, credo, more ſuo Plautum imitaturus, poſt XII. verſiculos Anacreonticos à ſe factos ſubjungit tamdem: [Num vobis videor multæ luxoriæ ebrius mentis inſipere atque ideo in poëtas nomen dediſſe?] Sic ibi fidem Giphaniani codicis ſecutus edidi. Sed ne poëtæ forſan ſcriptori illi

illi meo (ſic enim appello ex tot codicibus tam ànxiè à me caſtigatum) iraſcantur, dum ideo ſe poëtam dicit, quod mentis compos non ſit, non reticebo ſcribſiſſe Symmachum: *atque adeo in p. n. d.* quod indicium mihi fecit Fuldanus membranaceus Codex multò antiquiſſimus. Jam in Epid. act. 2. ſc. 2. conſultant invicem Periphanes & Apæcides ſenes, quemnam ad redimendam de lenone fidicinam allegent potiſſimum: ei rei demum Epidicus præficitur. Verba ſunt:

P E. *Quem hominem inveniemus ad eam rem utilem?*
A P. *hic erit optimus,*
Hic poterit cavere rectè, jura qui & leges tenet.
P E. *Epidice, habeas gratiam.* E P. *ſed ego iſtuc faciam ſedulò.*

Sed niſi me fallit, loco Apæcidis, reponendum erit Epidici nomen, quomodo à Langianis libris diſtinctum video. Erunt ergo illa verba Epidici, ſe ipſum demonſtrantis & huic negotio ultrò ſe offerentis, ſi quidem res poſtulabat, ut dolus ipſius Epidici operâ perficeretur, quare veriſimile eſt eum cupide ſe obtuliſſe. Sic Bacchidib. de ſe Chryſalus paratragœdians: [Hunc hominem decet auro expendi, huic decet ſtatuam ſtatui ex auro.] Sic Curcul. act. 2. ſc. 1. [Vah ſolus hic homo eſt, qui ſciat divinitus: Quin conjectores à me conſilium petunt.] Ergo poſtea in verbis Periphanis, habere gratiam erit, facere alicui gratiam, gratificari alicui, ſicut ferè Moſtellar. ſcen. ult. *fac iſtam cunctam gratiam.* Quod autem paullò poſt, eadem ſcena ſequitur:

Vèrum ſi plus dederim referam: nihil in ea re captio eſt.

grammaticos forſan turbare poſſit, & turbavit ſanè, cum Lambinum video. is enim multa huic lectioni,

lectioni, quæ in omnibus libris veteribus compareret, firmandæ & explicandæ verba ſumit, in aliis quoque volgatis editionibus eſſe refert: *nulla in ea captio eſt*. Ego ut illam defendam non laboro, qui ſciam in Linguis non rationem, ſed uſum adverti oportere, niſi quod non dubito plura talia à veteribus prolata fuiſſe, quæ grammaticorum canones labefactare poſſunt. Eodem verò pacto Plauti ſtudioſus imitator Symmachus lib. 1. epiſt. 69. [Quotiens viris militiæ notis teſtimonia dèferuntur, decet operam verborum facere compendii: quia nihil negotium eſt rebus cognitis immorari.] Sic Juretus in membranis ſuis repertum in contextum tamen recipere non eſt auſus, ſed edidit, *nihil negotii*. Sed ut ſcribſi ſic in vetuſtiſſimis quibusque libris Giphaniano, Fuldano & Bertiniano perſcriptum fuerat.

EPISTULA X.

SIGISMUNDO â BURGHAUSEN, EQ. SILESIO.

EXclamare mihi, dum te, Burghuſi, cogito, in veterum morem liceat, UBI FIDES? hæcine cebræ illæ literæ erant, quas tu mihi Ingelſtadio abiturus tam magnificè minabaris? ideone cum mecum eſſes in Symmacho meo legiſti, oportere qui peregrè abierunt, auſpicia præſtare literarum, ut vel à me contra priſci moris obſervantiam (velut idem præfectus urbi loquitur) invitatus, tamen tacendum tibi exiſtimares? At non impunè quidem. Nam aut nihil in officina mea gerrarum erit, aut ego te his nugamentis in Apulejum noſtris ita delinitum concinnabo, ut qui & ubi ſis neſcias. Libro 2. de aſino in deſcriptione feminæ ſplendidæ legendum ajo cum Bertiniani cœ-

nobii codice ſcripto veteri: [Aurum in genis & in tunicis, ibi inflexum, hic intextum matronam profectò confitebatur.] Nam adhuc editum fuerat: *Aurum in gemmis.* quaſi non gemmæ potiùs in auro eſſent. Ibidem malè: [Et in nexu germanitatis ambæ coaluimus.] pro volgato, *una coal.* At hæc varietas nugæ magnæ meritò videbuntur præ iis, quæ poſtea de magnificentia Byrrhenæ ædium: & Dianæ effigiâ ſubſequuntur. Quando enim in editis legitur: [Et ſi fontes, qui Deæ veſtigio diſcurrentes lenem vibrantur undam, pronus adſpexeris, credes illos, ut vite pendentes racemos, inter cetera veritatis, nec agitationis officio carere.] multum certè variat mſ. *Et ſi fomites qui Dea veſtigio diſc. in lenem vibr. umbram pr. ad. cr. illos ut rure pend. racemos* &c. quâ ſcripturâ quid fieri velis, à te, Sigismunde cariſſime, tuique ſimilibus ingenioſis hominibus edoceri velim. Video aliquid, ſed periculoſum fortè ſit doctis auribus proponere. Bonum itaque factum, ut te quoque in explananda illa lectione nonnihil exerceas. Sequenti pagina de Fotide ancilla: [Oſculato tuo capite quàm invita diſcederet voltu prodidit: denique ſæpe retrorſus reſpiciens ſubdidit: Quod Bonum Felix Et Faustum.] *Retrorſus* malui cum mſ. volgò *retrorſa*; & *ſubſiſtit*: pro quo Gabriel Rolandius Juriſconſ. elegantiſſimi vir ingenii *ſubdidit* legendum conjecerat. ſanè bene. volt enim docere Apulejus, Fotidem ipſam quaſi amoris feciſſe auſpicium, quod & oſculo illo voluiſſe videbatur. Jam verò ut videas denique, Burghuſi, me tibi de ſilentio non amplius iraſci, nolo illum cum latranti nomine ſcurriliter & ineptè ingeniis nationis noſtræ inſultare ſæpe ſolitum imitari: qui præfatione ſua in Plinii epiſtulas pronuper à ſe recuſas ipſos ſexaginta quinque verſiculos ſive lineas complet in com-

commendanda divina emendatione ſua, qua *redibat* pro *ridebat* ſubſtituit. Nam ſi tibi turgerem, qui minùs totidem de lineis obtundere, & malè cruciare poſſem, in ſimili planè emendatione. Nec enim negabis pro eo quod ibi receptum & à Colvio adſertum: [Tanta denique eſt capillamenti dignitas, ut quamvis auro, veſte, gemmis, omnique cetero mundo exornata mulier incedat; tamen, niſi capillum diſtinxerit, ornata non poſſit abire.] Valde veriſimiliter à me reponi: *non poſſit aberi*, quod eſt *haberi*. nam exempla certè illi lectioni defendendæ à Colvio adducta, parum mehercle huc facere videntur. Hinc itaque quàm lenis ſim vides, eoque nomine multum me à te amari velim. Pòſt paullò ſequitur ut ego legendum cenſeo: [Heus tu ſcholaſtice, ait, dulce & amarum oſculum capis.] Sed volgò legas; *guſtulum capis*. in mſ. *juſculum*. quæ diſpicies; mi Sigiſmunde, Sileſiæ tuæ occelle, ſi meæ correctioni præferenda ſint & ſalvebis.

EPISTULA XI.

BONAVENTURÆ VULCANIO.

QUod utinam felicius meæ ambulaſſent literæ, quas anno ad te dedi Vulcani doctiſſime! neque id tam earum cauſſa tam cupide exopto, quam ipſius Symmachi, pro quo ad te perſcribſeram. Sed quando illa non proceſſit via, tentare volo, utrum & hæc epiſtula in publicum emiſſa aberratura ſit. Quæro itaque quæſoque ut quid tibi de caſtigationibus his Plautinis videatur minimè advorſum me diſſimulare velis. Mercatore act.2.ſc.3.conqueritur ſecum aduleſcens Mercator, quod amicam, quam animi cauſſa pretio ſibi pararat, quamque clam patrem habere

poſſe ſemper ſperaverat, eam nunc pater conſpicatus fuerit, cui quid ſuper illa reſpondere debeat incerto ſciat, nec perſuadere poſſe videatur, ſi amorem ſuum faſſus fuerit, quin illam aliquò venum aſportaturus ſit. Verba ſunt:

Atque illam abſtrahat, trans mare hinc venum aſportet,
Scio ſævus quam ſit homo & durus.

In quibus miraberis, vir doctiſſime, nec injuria tam elegantem phraſin deperditam: quam ex duobus libris ſcriptis hoc modo reſtituo: *Scio ſævus quam ſit domo doctus.* Fidem tuam, Vulcani, aliquidne ab ipſo Plauto quod ſe dignius foret dici potuiſſe? Domo doctus vel domi didiciſſe dicitur, qui ex ſe ipſo quid expertus eſt, nec opus habuit ut aliunde diſceret. Sic Amphitr. in Camerarii, Mureti, Sambuci & Langii libris ſcriptum fuerat act. 2. ſc. 2.

Nam ego id nunc experior domo, atque ipſa de me ſcio·

ubi volgati: *experior de me.* Sic Ciſtell. act. 2. ſc. 1. [Credo ego amorem primum apud homines carnificinam commentum: Hanc de me conjecturam domi facio.] hoc eſt, meopte exemplo comperio. Sed ſc. 4. extrema: [Domi me ergo maneto. CH. actutum face cum præda ut recipias.] nec placet aliorum librorum ſcriptura: *face prædam ut recipias*, nec Lambiniana autem interpretatio: Recipias, ſcilicet me amiſſum & perditum ac me recuperes. nam haut dubiè verum eſt, quod ferè puer vidi, *Recipias* abſolutè dictum pro recipias te domum cum præda ſive amica mea, quam patri eripies. Sicut Bacchid.

Quid denique agitis? CH. rurſum in portum recipimus.

Cui loquendi rationi adfirmandæ nolo nunc plura

corra-

corradere, ſatis id feci in Veriſimilibus, fecit Palmerius. Jam act. 5. ſc. 2. verſus 38. cum ſequenti aſteriſcis notati viſuntur hoc modo:

*Nubis ater imberque inſtat, adſpice nunc ad ſiniſtram**
**Cœlum uti ſplendore eſt plenum ex adverſo vides.*

quos aſteriſcos qua potiſſimum ratione illinc expellam non ſatis compertum habeo; nec enim à ſcriptis libris multum adeſt auxilii, quorum alter: *ad ſiniſtram atque ut detis:* alter; *atqui detis.* quid tamen vetat quin eloquar quæ me animus jubet. Legebam itaque olim: *atque vide ſis.* Atque ſic vel porro legere paratus ſum, ſi tuo & tui ſimilium ingenioſorum hominum punctum auferre queam.

Epistula XII.

MATTHIÆ KLOCKIO JURISCONS.

PAucula etiam reſtant, quæ in primum Apuleji Metamorphoſeon habebam. ea valde à te, Klocci eruditiſſime, ſi non probari, at examinari certè velim. Non tu is es, ſi bene te novi, qui hanc amico operam denegare auſis. quare ad legendum accinge, dum illa repræſento. Editum eſt: [Sed ego huic & credo Hercules, & gratas gratias memini, quod lepidæ fabulæ feſtivitate nos avocavit.] Elegans illud quidem *gratas gratias*, quodque à Plauto ſumptum Pœnul.

Et libertatem & multas gratas gratias.

Sed hîc tamen jubente manuſcripto ſanè malim: *grates gratas.* Meminiſſe alicui gratias, totum transmarinum & græcanicum eſt, pro quo Latini ha-

bere. Levia hæc; ſed levius quod ſubjungam, [Ego verò quod primùm ingreſſu ſtabulum conſpicatus ſum acceſſi.] In mſ. *ingreſſus.* lego: *ingreſſui.* Sic & ſuperiùs in eodem v. l. ſcriptum fuerat: [Ego tibi ſolus hæc pro iſto credam, & quod ingreſſui primum fuerit ſtabulum, prandio participabo.] Et tibi volgatur: *ingreſſu.* Sequitur pòſt paullò: [Remoto, inquam, joco parens optima, dic oro &c.] Emphaticoteron futurum ſi cum v. l. legas: *Semoto*, ut Horat. *Amoto ſeria ludo.* Statim poſt: [Inibi iſte Milo deverſatur ampliter munitus & longè opulentus.] Sic ſanè malim ex v.c. reſcribere, volgò *ampliter nummatus.* Sic Plaut. Trucul. Munire: *nunc nihil eſt quî te muniam*, id eſt, ut Palmerius interpretatur (cujus & illa eſt lectio, cum editum ſit, inanem, quod nos alibi aliter corrigimus) nihil nunc habeo quo te donem munere. Sic alibi ex ejusdem Palmerii lectione: [Non ille meretriculis muniendis rem coëgit, verùm parſimoniâ.] In Camerarii utroque codice inveni ſcriptum *Moniendis*, facilis autem eſt lapſus ex u. in o. vel ſcriptum fuiſſe antiquitùs dicamus *mœniendis*. Sicut mœnera & munera, mœnia & munia. Sequitur: [Benignè, inquam, & proſpicuè Demeas meus in me conſulit, qui peregrinantem cum tali viro conciliavit.] Ita lego ex v. l. volgò: *perſpicuè.* quod nauci non eſt. Proſpicuè in me conſuluit, id eſt, benè mihi proſpexit. Quam nunc emendationem ſubjiciam, integrum illa locum oculis ſubjici poſtulat, qui talis eſt: [Tamdem adoleſcentula quædam procedens, Heus tu, inquit, qui tam fortiter verberaſti, ſub qua ſpecie mutuari cupis? An tu ſolus ignoras, præter aurum argentumque nullum nos pignus admittere? Meliora inquam, ominare: & poſt reſponde. Dic oro an intra ædes herum tuum offenderim.] Sed poſtrema illa depra-

pravata ex v. l. emaculo. *Meliora inquam nomina : & potiùs reſponde an intra* &c. quæ cui non probavero, illum vero intra ædes animi ſui vix offendi poſſe putem. Te aceti acris cupas poſſidentem facilè hoc probaturum ſcio & benè valere ac ſalvere precor.

EPISTULA XIII.
JOHANNI à BREDOW, EQ. MARCHICO.

QUin etiamnunc multis licet millibus à me diſterminatus jucundè mei ſæpe recorderis, Bredovi nobiliſſime, minimè dubitare auſim : certè non poſſum, quotienſcumque nuperas tuas ad me literas, longe illas humaniſſimas verique ac conſtantis amoris & benevolentiæ indices mecum conſidero. non tu etiam, quin tecum faciam mutuum, dubitare debes. nam vel hodie ad Suſpectas meas lectiones accingens nihil prius mihi faciendum putavi, quàm ut in tuam gratiam aliquammultas Plauti congerronis tui individui novas lectiones heic conſcriberem, eaſque ad te porrò permitterem. Eas ut curioſè legeres rogarem, niſi vel Plauti ipſius, vel mea etiam cauſſa omnia talia gratiſſima tibi eſſe acceptum ſatis haberem. Meminiſti, opinor, me libro Veriſimilium primo cap. octavo præter alia Plauti loca & hunc tentare qui exſtat Amphitr. Sc. Di voſtram fidem. verſ. 60.

—— AMPH. *Bacchus te irritaſſit.*
SO. *Nec Bacchum ſalutem hodie, nec Cererem. tu purgari juſſeras*
Vaſa, ut rem divinam faceres, & hunc me acceſſitum mittis,
Ut tecum prandeat ——

& rejectâ ſubidiuſculâ Lambini interpretatione malle: *Nec Bacch. ſal. h. n. Cererem, ni purgari juſſeras.* q. d. precor ut nec panem nec potum ori hodie meo admoveam, niſi tu juſſeras. Sed ut mecum pariter ſcias, meam illam ſententiam mutavi, & Pflugio noſtro, juveni ſagaciſſimo ſuram præbeo lubens. Ipſum quoniam juxta mecum meritiſſimo ſuo æſtimas, malui ipſius quoque verbis ſuſpicionem meam veterem apud te refutare. Sic itaque in ſuis ad me literis Pflugius noſter, glorioſum literatæ nobilitatis exemplum: [Apage *τὶ Tu.* quod ſuppoſititium eſſe vel puer olim animadverti. Sane ut in re dubia non poſſum non probare tuam conjecturam. Legendum tamen eſſe aliquando putabam, *ut purgari juſſeras.* ejusque lectionis ſtabilimentum ex antecedentibus petebam. Quærit Amphitruo ex ſervo Soſia, quando gentium ipſum miſerit accerſitum Blepharonem: reſpondet ſervus id jam, modo, pridem factum fuiſſe: & ut planius etiam loquatur, circumſtantias addit, Ubi, inquit, rediiſti cum uxore tua in gratiam; Volebat alia addere: interpellat herus, cui cum, ut ferè fit, conciſè admodum reſpondiſſet, ad inchoatum ſermonem revortitur, ut, vel, ubi, inquit, purgari juſſeras vaſa, ut rem divinam faceres, tunc me mittis hunc accerſitum. *Mittis* autem dicit tempore præſenti ſuo more & modo rem modo factum oculis noſtris veluti ſubiciens. In ſequenti verſu pro *Et hunc*, lubens legerim, *ad hunc.*] Hæc ille. quæ mihi propriis multo potiora ſunt. Ergo verba iſta, *Nec Bacchum* &c. clam à Soſia proferuntur. q. d. Si Bacchus me irritare debet, nolim ego vel Bacchum vel Cererem ſalutare. Uterque autem & Bacchus & Ceres hominibus furorem immittere credebantur. Sed audi nunc aliam etiam pugnam, quam dedit idem noſter Pflugius, atque pulcher-

pulcherrimam. Ciſtellar. ſc. I. narrat Silenium de ſuis & Alceſimarchi amorib. cui contra quam Silenio promiſerat & verbis conceptis adjurarat, ſubigente patre alia uxor domum ducenda erat, poſt infert:

> *—— nunc mea mater irata eſt mihi,*
> *Quia non redierim domum ad ſe, poſtquam eam rem reſciverim,*
> *Eum uxorem ducturum eſſe aliam.*

Subicit Lena:

> *—— nihil amare injurium eſt.*

Scio valde placere Douzæ patri lectionem ſuam: *nihil amore injuriu'ſt.* id eſt, injurioſius ſeu magis injurium. Sed quam non hæc reſponſio ſuperioribus Silenii verbis conveniat, id quoque ſcio. Nunc audi tu ſis, quanto Batavo Equite heic quidem felicior eques Miſnicus. Legit autem: *nihil à matre injurium eſt.* & hæc interpretationis cauſſa in literis isdem adpingit: [De matre ibi ſermo. Faciundum enim id nobis, quod parentes imperant, illisque ſine dedecore ſummo ac ſcelere adverſari haut poſſe idem Plautus meus me docuit in Sticho &c.] Verùm enimverò hanc ejusdem interpretationem minùs probo. Puto ſimpliciter ad ſuperiora referendum. Nihil à matre injurium, hoc eſt, non mirum vel injuria facit mater, quod tibi ſcilicet iraſcitur: quæ cum Alceſimarcho, cui jam aliam uxorem ducendum ſciebas, diutius manere volueris.

EPI-

EPISTULA XIV.
V. CL. PAULLO MERVLÆ JURISCONS.

NImirum adſenties mihi, Paulle Merula vir doctiſſime, ſuper eo quod modo in mentem mihi venit: obſervatione illa mendarum, quæ in libris vel ſcriptis vel impreſſis comparent, paullò religioſiores, vel ut aliis placet, ſubtiliores fieri Criticos. Ego ut ſubtilem me dici nihil moror (quando nec ætas, nec inſtitutio, aut eruditio mea ullum acumen promittit) ita religioſum haberi non video cur recuſare debeam. Ede modò tuam emendandi rationem: plures propediem faxo videbis, qui Criticam noſtram, ſi non ardentiùs, at certè verecundiùs tractabunt, & quaſi venatores macularum veſtigia inſiſtent. Cum enim plurimas mendas ex Symmachi & Plauti manuſcriptis, quamvis vetuſtiſſimis, collegiſſem, ea ſub certa quædam capita cœpi redigere, & nunc cottidie locum aliquem mendoſum offendenti exempla talia ob oculos animumque obverſari ſolent. Tale eſt, quod nunc ex lib. 3. Apul. de Aſino tibi propono: [Ac me capillos ejus, qui jam cæde cultrorum deſecti humi jacebant, clanculò præcepit ferre.] Quod Colvius veſter ſe in Lipſiano mſ. & Baſil. editione reperiſſe teſtatur: idem & in Bertiniano codice reperi nimirum: *præcipitavit ferre.* Vix intuitus fueram hæc verba, cum mihi de illis, quæ dixi, exemplis ſuſpicari libuit ſcribſiſſe Apulejum: *præcipit auferre.* Sequitur in Aſino noſtro: [Cum ſemper alioqui ſpretorem matronalium amplexuum, ſic tuis iſtis micantibus oculis, & rubentibus bucculis, & renidentibus crinibus,

bus, & hiantibus oſculis, & flagrantibus papillis in ſervilem modum addictum atque mancipatum teneas volentem.] Placet quod inveni in ſcripto codice: *renitentibus crinibus*: Occaſione loci maximè qui ſupra fuit lib. 2. [Quid cum capillis color gratus & nitor ſplendidus illucet & contra ſolis aciem vegetus fulgurat, vel placidus renitet, ac in contrariam gratiam variat adſpectum.] Exigua ſunt hæc, ut omnia mea; fateor: vides tu tamen, Merula, antiquitati hoc eſſe præſtandum, ut quæ in membranis reperimus cum fide aliis communicemus, qua fiducia monebo inſuper pauculis interjectis, cum editur: [Hactenus denique intecti bacchamur in Venerem.] Non omittenda fuiſſe quæ in vet. lib. comparent: *intecti atque nudati bacchamur.* Eâdem paginâ: [At ego nullo decantatus carmine, præſentis tantùm facti ſtupore defixus quidvis aliud videbar magis, quàm Lucius.] Loquitur de ſe, qui Pamphilen magicis ſuis artibus in bubonem converſam non ſine horrore adſpexerat. Vide quantò ἐμφατικωτέρως cum v. l. legam: *præſentis tamen facti.*

Epistula XV.
JOHANNI LADISLAO PHILOLOGO.

LUdovici Carrionis Emendationum & Antiquarum lectionum Commentarios adfinis tuus Fridericus Pierius doctus adoleſcens meique percupidus rectè mihi reddidit. Tibi autem, optime & doctiſſime Ladislaë, quid tamdem pro plurimis tuis in me bene promeritis reponam, quod gratum meum animum invicem aliquo pacto declaret? Tu me primum præter omne meum

meum meritum amandum tibi exiſtimaſti, tu pulcherrima bibliotheca tua & ab optimis rariſſimisque quibusquê libris inſtructiſſima juvare voluiſti, meum denique honorem & exiſtimationem ab invidorum & malivolorum obtrectationibus non timidè nec cunctanter propugnaſti: nam alia, quæ in me feciſti bene, memorare velim, verendum mihi erit, ne ambitioſiùs illa à me prædicata malivolentes exiſtiment. Sane quî tuam illam prolixam in me adfectionem remunerer non invenio, niſi quod ſincere illum Plauti verſum ex Moſtellaria apud quosvis de te uſurpandum mihi cenſeo:

Numquam ego illi poſſum gratiam referre, ut meritu'ſt de me.

Eadem illa adfectione ut has Plautinas lectiones arbitrari velis multum mihi, mi Ladislaë, rogatus eſto. Pſeudolo ſc. I.

Nunc ego te experiar quid ames quid ſimules. Vale.

Putavi legendum: *re experiar*, quippe jam ſpecimen cernebatur, eſſetne Callidorus amator, ita ut nomen cluet. quomodo & Douſa Amphitruone correxit act. I. ſcen. 3. ubi ante legebatur: [*Ecaſtor te experior, quanti facias uxorem tuam.*] Sc. Exite, agite. Sic inter cetera familiaribus ſuis edicit imperarator leonius:

Nunc adeo hanc edictionem, niſi animum advortitis omnes,
Niſi ſomnum ſocordiamque ex pectore oculisque amovetis.

Putarunt homines docti verſu primo verbum aliquod, ut, accipite hanc editionem, ſubintellegi, in quibus eſt Lambinus: ſed Douza filius argutus

tus juvenis maluit: *Nunc habeo hanc edictionem.* Sed ego nullam iſtic ellipſin adgnoſco, nullam interpolationem admitto, niſi quod diſtinctionis notam in medio verſu tollo. Niſi animum advortitis hanc edictionem, pro ad hanc edictionem. Solent enim veteres præpoſitiones nominibus demtas verbis adjungere. Sic aliquotiens paullò pòſt eadem ſcena dixit: Hoc agite, hoc animum advortite, pro ad hoc. Et rurſum: Huc adhibete aures, quæ ego loquar. pro ad ea quæ loquar. Et rurſum: Aſſiſtite omnes contra me & quæ loquor advortite animum. Sic Moſtellaria: Animum advortito, quæ volo accurarier. Et prolog. Amphitr. Nunc jam huc omnes animum ea quæ loquar advortite. quò magis miror viro docto hoc non in mentem veniſſe. Sed nonnumquam bonus ſcilicet dormitat Homerus. Eâdem ſcenâ heri vicem rogans Pſeudolus, ne leno amicam herilem vendat, cùm leno de argento innuiſſet, ſubicit:

At dabit, parabit aliquid hos dies, manta modo.

Adjecit Douſa ad oram editionis ſuæ, legendum ſibi videri: *At dabit, parabit aliquid: tres dies manta modò.* aitque ex ſequentibus apparere, eum tres dies argento inveniendo ſibi dari poſtulaſſe. Verè ſanè; ſed hoc nihil confirmat; nam & poſtea ſex dies petit. quare preſſius veſtigiis receptæ lectionis inſiſtens conjeci:

At dabit, parabit aliquî: duos dies manta modo.

ut ſibi lenonem impetrabiliorem reddat, minimum tempus initio ſibi poſtulat, duos ipſos dies: poſtea ubi lenonem nonnihil labaſcere exiſtimat, triduum. ipſe denique Callidorus ſex dies. Sed poſtea in Camerarianis reperi pro *aliquid*, *aliquod.* Ut putem verius eſſe: *aliquot hos dies manta.* Eadem ſcena, cum

cum Pſeudolus & Callidorus conjunctis viribus omnia quæ in hominem ſacerrimum cogitari poſſunt dicta dixiſſent, & Pſeudolus nihil hoc pacto profici videns conceſſandum putaret, ſubicit leno: *Nunquid aliud etiam voltis dicere?* ubi à veteribus libris admonitus malim: *alium.* q. d. num præter ſuperiora illa cognomina, quæ mihi feciſtis, ut impurum, buſtirapum, fraudem populi, alia, inſuper aliud mihi facere voltis? atque hoc quo vides faciliùs eleganter præ altero volgato dici hoc epiſtulam meam claudo lubentius.

EPISTULA XVI.
LAMBERTO CANTERO TH. F.

JUva me, amabo te, Lamberte Cantere, ſubacto judicio tuo in percenſendis pauculis emendatiunculis in Apulejum noſtris. Quin enim poſſis, non dubitare debeo, niſi doctiſſimo Volcanio tam præclara de te in nova Apuleji editione prædicanti, & Rittershuſio etiam meo, qui aliquamdiu familiariter tecum Baſileæ vixit, nec ſatis eruditionem illam tuam laudare poteſt, fidem arbitrari recuſem. quare ſi Rittershuſium ipſum amas, ſi Lucio illi Madaurenſi melius eſſe cupis, ita non ægrè has κρίσεις noſtras perputabis, tibique quid videatur, cum commodum erit, ad me referes. Lib. de Aſin. 3. editur: [Certè parvuli hujus in primis [annis] deſtituti fortunis ſuccurrite, & de latronis hujus ſanguine legibus veſtris & diſciplinæ publicæ litate.] Vocem illam *annis* ſuo ſigno incluſi, quod à ſcripto libro exſularet & non niſi farcturam malæ alicujus manus referret, planeque delendam eſſe puto. *Inprimis* pro una dictione accipio,

accipio, *fortunis* dandi caſum & *deſtituti* abſolutè dictum exiſtimo, ſuccurrite fortunis hujus parvuli inprimis deſtituti. Utitur & ita abſolutè præter ceteros Sueton. Galba cap. 11. [Acceſſit ad tanta diſcrimina mors Vindicis: qua maxime conſternatus deſtitutoque ſimilis, non multùm abfuit, quin vitæ renuntiaret.] Sequitur in Apulejo: [Verum ſtatuas & imagines dignioribus, meisque majoribus reſervare ſuadeo.] Quod majoribus Apuleji, qui jam olim mortui ad plures ſe penetraverant, ſtatuas reſervare nihil neceſſe fuerit, quivis quamvis inſipiens poterat perſentiſcere. quare non temere Stewechius *meque majoribus* legendum putavit. At ego nimis forſan curioſè veſtigia receptarum lectionum ſervare ſuetus, non etiam ignorans, quid ſuper hoc loco Colvius ſentiret, reſcribillare malui: *dignioribus me iisque majoribus &c.* Fons mendi, *isque* ſcriptum pro *iisque.* Et ſic Latinè tamen loquetur Apulejus potius, quam *meis majoribus* dixiſſet. Meus major Latio minus facere & convenire mihi videtur, quamvis alibi ſic loquatur Apulejus. Paullò pòſt cum deſcribit qua facie ad ſe timida ſibique prætimens Fotis ancilla in cubiculum advenerit: [Sui longè diſſimilis advenit. Non ex læta facie nec ſermone dicaculo, ſed voltuoſam frontem rugis inſurgentibus adſeverabat. Colvius noſter in ſuo libro teſtabatur legi: *Non ens læta f.* Unde ille exterebravit: *Non nitens l. f.* Sed tam ingenioſo mihi eſſe non licet. quia tamen neſcio quid monſtri alit hæc lectio, quid illa facturus ſim cura crucior miſer. Fuit cum putarem legendum: *Non elata facie:* id eſt, voltu erecto. Sicut apud Maronem efferre ora pro tollere, erecto ore incedere. quaſi ſcriptum pervolgato librariorum more fuiſſet *eclata,* unde poſtea illud *ex læta* nobis obruſum. Sed ut illa conjectura nihili forſan

ſan & nequam eſt, ſic non multò melior, mihi certè probabilior altera: *Non oneſtata facie.* Minimum certè abivi à veſtigiis volgatæ ſcripturæ: repetii duas literulas, cujus ſimilia exempla in Arte Critica. pro *ex* feci *es*, cujus rei exempla ſimiliter aliàs trado. Porrò *honeſta facies* frequenter dicitur, pro liberali, exporrecta & nonnihil hilarâ, cui honor adflatur. Sic Claudianus neſcio quem voltu honeſtatum dicit. Unum etiam addam, quod mihipte perpuſillum videtur: tibi tamen, ſi me tui jam amantem redamare voles, paullò majoris momenti videri poterit, ſequenti nimirum paginâ legendum, de Pamphile maga: [Nec umquam magis artis hujus violentia utitur, quàm cum ſcitulæ formæ juvenem quempiam libenter adſpexit.] Poſtulante id ſententia, cum in omnibus libris ſit *nititur*. Sæpe autem apud alios ſcriptores duo hæc verba mutuo ceſſerunt alterumque alterius locum occupavit. Cui exemplis vincendo apud te optimum & peritiſſimum harum rerum judicem ſuperſedere volo.

Epistula XVII.

VOLRADO à PLESSEN, EQ. SAXONI.

NOn poſſum, Volrade Nobiliſſime, quin & heic, ubi ad variorum virorum doctorum quaſi oracula ſciſcitanda mitto, ad te quoque de nonnullis conjecturis noſtris referam. quod enim de his ſtudiis noſtris valde bene exiſtimare poſſis, præter pervolgatam eruditionis tuæ famam, & illuſtriſſi. Scaligeri unicum de te elogium ſatis atteſtari queat. Sic enim de te ſcribit ille cenſorum acerrimus in iis quæ tamquam theſaurus apud

apud me adſervantur literis: *tibi commendando ne librum quidem magnum ſatis futurum; eſſe enim te omnium virtutum emendatiſſimum exemplar.* Quibus ego fretus, ſimul pro amicitia, quæ meo parenti tecum intercedit, facilè me impetraturum ſpero, ut & hæc noſtra, ſi quid à graviſſimis occupationibus otii tibi ſuppetierit, lecturus & ſententiam tuam cum commodum tibi fuerit mihi communicaturus ſis. Epidic. act. 2. ſc. 2.

Age nunc jam orna te Epidice & palliolum in collum conice,
Atque diſſimulato, quaſi per urbem totam hominem quaſiveris.

Miratus ſæpenumero fui Lambinum, cetera verboſum nimis, hîc prorſus obmutuiſſe; at maximè tamen, ſiquid ego judico, heic indicatum oportuit qua ratione *diſſimulato* pro ſimulato, fingito, poſitum fuerit. quod ego interea, dum ſic ſatis Latinè dici à quiquam edoceor, lubens hinc ablegaverim, ejusque vicem jubentibus Langianis libris reſcribſerim: *Itaque aſſimulato, quaſi* &c. Eadem fabula act. 3. ſc. 3.

Egomet quod factitavi in adoleſcentia,
Quum militabam pugnis memorandis meis.

Ecce tibi; commodum hæc chartæ illeveram & ſubdubitare cœpi, an non tam illuſtre mendum (quamvis leve) typographo editionis Douſicæ, quâ nunc utor, adjudicandum eſſet. Sed ubi ad Lambini editionem conſultum ivi, nihilo illic reperi meliora. quare quandoquidem hoc mihi reliquum factum video, ut poſt aliorum meſſem ſpicas legere neceſſe habeam; admoneo corrigi debere: *pugnis memorandus meis*, quomodo & Apulejus Apologia (ut volgò diſtinguunt) ſecunda:

[Quis Palamedes, quis Siſyphus, quis denique Eurybates aut Phrynondas talem excogitaſſet? Omnes iſti, quos nominavi, & ſi qui præterea fuerunt dolo memorandi, ſi cum hac una Rufini fallacia contendantur, macci prorſus & buccones videbuntur.] Sequitur eâdem Comœdiâ act. 5. ſc. 2.

Apage illum à me. nam ille quidem Vulcani irati eſt filius.

Qua qua tangit, omne amburit: ſi prope aſtes, aſtu calefacit.

Verſu poſteriore, qui debet eſſe trochaicus, pes redundat: quare olim conjecturâ ductus vocem *aſtu* tamquam repetitam ex *aſtes* inducendam exiſtimavi; quod cum deinde Langianis libris confirmari animadverterem, vehementer ſum gaviſus. Eodem pacto apud Symmachum peccatum fuerat lib. 1. epiſt. 52. [Ubi ager noſter, vel ille auctumno omnis copiæ ferax, vel ille hieme apricus, aut qui anni primus roſas humo exuit, aut qui ſub uva æſtivo ſole de nemore & fonte frigeſcit.] Primum cum duobus manuſcriptis lego: *aut qui vere anni primas roſas.* quatuor enim anni tempora nominat, quibus omnibus agrum ſuum ante alios bonum prædicat. Poſteriora in Giphaniano codice & Bertinienſi ſimiliter ut propoſui ſcripta fuerant. Mihi tamen vox *uva* ſuſpecta ſemper fuit, eamque delendam arbitratus ſum, ut Symmachus dixerit *ſub aſtivo ſole* pro tempore æſtivo. cogitabam enim in libris ſcriptis b, & u, ſemper invicem commutari. & ex: *ſu va eſtivo* pro *ſub aſtivo* factum ab aliquo, *ſub uva aſtivo*, repetitis tantum principialibus & finalibus literis. Demum in Fuldano codice reperi: *aut quis uva eſtivo.* literam ultimam in *uva* dele tamquam

quæ

quæ ex ſequenti voce ibi adheſerit, & ex u, facito, b, habebis jam lectionem meam: *aut qui ſub æſtivo.* Sed ut ad ſuperiorem Plauti locum revortamur, porro malui: *Si prope abſtes, calefacit.* quia certe, ſi prope quis ad ignem adſtet, amburetur & tangetur ab igne, ſed ſi abſtet prope, calefiet tantum. Nec novum hoc erit & à Plauti ſcena alienum vocabulum. Sic Trucul. act. 2. ſc. antepenult. *Quæ me hic reliquit atque abſtitit.* Et Milite act. 1. ſc. 3. verſ. 46. *Quemamodum abſtitit, ſevera fronte curas congitans.* Erit autem ſimiliter dictum *prope abſtare*, ut Cicero ſolet, prope abeſſe: ſicut longe abeſſe, ita longè abſtare, quo Horatius utitur Arte:

Ut pictura poëſis erit; quæ, ſi propius ſtes,
Te capiat magis: & quædam, ſi longiùs abſtes.

Sententia pateretur, etiam illic apud Plautum mallem: *ſi propius ſtes.* quia in Langianis libris fuerat, *ſi propius aſtes.* ſed in priore ſententia non muto.

EPISTULA XVIII.

MATTHIÆ KUCHELIO ULMANO.

RIſtiſti, ſat ſcio, amicum illum noſtrum, qui ad interverſionem ſuorum in Ciceronis topica commentariorum ſui ſuſpendium nobis minari volgò dicitur. Nam unde tanta homini quæſo fiducia? nec ejus φιλοψυχίαν ignoras, qui ſecum ſemper illud Pheretis Euripidei muſſitat: Ημῖν πολύν γε τὸν κάτω λογίζομαι χρόνον, τὸ δὲ ζῆν σμικρὸν, ἀλλ' ὅμως γλυκύ. optaret, credo, omnibus ſuis & libris & liberis eſſe ſuperſtes, & ſi Parca ejus moræ,

quâ in pœnali materia uſus cum magno tuo incommodo, patiens eſſet, nê ille ſemper comperendinaret, viveretque, vel uſque dum regnum obtinebit Jupiter. Non ego credo inanibus hiſce minis, ut quem Ariſtomene illo Apulejano multo ignaviorem ſcio: qui, ſi Apulejo credimus, jam laqueum collo induere ſeque longam literam facere auſus eſt. Verba hæc ſunt I. de aſino. [Et cum dicto reſtim, quâ erat intextus, aggredior expedire: ac tigillo quod feneſtræ ſubditum altrinſecus prominebat, injecta atque obdita parte funiculi, & altera firmiter in nodum coacta, aſcenſo grabatulo, ad exitum ſublimatus, & miſſo capite laqueum induo.] Sed jam eruditiſſime & integerrime Kucheli, vides nimirum obſcurum eſſe, quid ſit *obdere funem.* quare ne hereas diutiùs, narro tibi, pro *obdita* reſcribendum eſſe *obducta*, auctoribus ſcedis veteribus. Injecit igitur tigillo partem reſtris & obduxit ſive circumduxit. Intellegis omnia, quare ea deſino, & ex iisdem ſchedis pro *Et miſſo* ſcribo *emiſſo.* exprimit, ſe collum protendiſſe ad induendum reſtim qui non ſatis longus erat, **hat den hals wol daran oder außgeſtreckt / weil der ſtrick nicht weit genug herab henckt.** Tam multa vides & factu amara facienda ſunt, qui ſe laqueo nexili ſuſpendere volt. Vivat itaque, precor, amicus noſter diutius, & tu hæc reliqua mecum in Apulejo conſidera. Eodem libro Ariſtomenis comes Apulejum miratur tam credulum fabuloſis narrationibus: [Tu autem vir, ut habitus & habitudo demonſtrat, ornatus, accedis huic fabulæ?] Si vera hæc lectio, ornatis viris turpe erit eſſe credulis. Nec ornatus fuit idem amicus ille, qui ſuos manuſcriptos, ne eos cum editis compararem, mihi credidit. Sed qui jam ſint ornati viri inveſtigatu difficile erit. God. Stewechius optimè de Apu-

lejo

lejo meritus hîc mavolt: *cordatus*. Sed quî quæſo ex habitu cordatus quis colligi poteſt? Nam ſæpe certè, ne dicam ſemper, ſub inculta latitat ſapientia veſte. Mihi ſane dum locum integrum curioſis oculis contueor, vox illa *Ornatus* inducenda videtur, quippe quæ mihi de gloſſemate valde ſuſpecta eſt. Primum enim fuit, qui habitum per ornatum interpretaretur & adnotaret; poſtinde alius eamdem illam interpretationem explendæ ſententiæ infercivit. Erit autem, ſi expungatur vox illa, ſententia in ſpeciem quidem manca, ſed perquam elegans. Tu (velut tuus habitus & corporis conſtitutio oſtendit) vir, credis hæc tam fabuloſa? Habitum idem eſſe quod veſtimenta & ornatum ſatis claret. Habitudinem facit totius corporis; ſic enim paullò pòſt: [Ego te etiam de iſta corporis, ſpecioſa habitudine deque hac virginali prorſus verecundia, generoſa ſtirpe proditum, & rectè conicerem.] Et lib. 2. [Nec tamen ego priùs inde diſceſſi, quam diligenter omnem ejus exploraſſem habitudinem.] Et habitior pro pinguior apud Plautum & Terentium. Valdè autem amara eſt iſta comitis illius oratio in Apulejum; quaſi viri nihil habeat, niſi veſtem & corporis conſtitutionem; cetera nimis muliebroſus: utpote qui has aniles Ariſtomenis fabulas accredat. Nota enim & in proverbium abiit feminarum credula ſuperſtitio & ſuperſtitioſa credulitas. Sequitur immediatè in Apulejo: [Ego vero, inquam, nihil impoſſibile arbitror, ſed utcumque fata decreverunt, ita cuncta mortalibus provenire.] Puta, quantò venuſtior & ἐμφατικωτέρα futura ſit lectio, particulâ illâ, *ſed*, volente Bertiniano codice deletâ. Scires eam à ſciolo aliquo adſutam, cui inſolens viſum, ut *nihil* pro non ponatur. Addit Apulejus: [Nam & mihi, & tibi, & cunctis hominibus uſuvenire mira &

pænè infecta: quæ tamen ignaro relata fidem perdant.] In Bertiniano libro reperi, *ignaruro*. Corrige: *ignaruri*, id eſt, ignoranti. Gloſſæ: Ignarures ἀγνῶντες. Item: gnarurem γνώριμον. Gnarurat, γνωρίζει. Item gnarures γινώσκοντες. Plaut. Moſtell. ſc. 2. *Simul gnarures vos volo eſſe hanc rem mecum.* Et prolog. Pœnuli. *Æquè ut ſitis hujus mecum gnarures.* Sic ibi rectè correxit Lambinus adſtipulantibus duob. membranaceis Camerarii codicibus: cum ante legeretur: *hujus gnari rei.* Auſon.

Non cultor inſtans non arator gnaruris.

Hæc igitur paucula volebam ignarurisne eſſes. Tu vale Kucheli, & nos & literas quod facis ama.

EPISTULA XIX.

TOBIÆ SCULTETO P. L.

EN umquam erit, Sculteete ſuaviſſime, ut quod jam diu deſidero, tuo nobiliſſimique Burghuſii noſtri jucundiſſimo conſpectu fruar, vobiſcum vivam, ſermones cædam, omnia denique faciam; quæ amicum hominem, ita ut nomen poſſidet, æquum eſt? O vos mea deſideratiſſima capita! O tu mi mellite Scultete! quid nunc? ubi vos locorum, ubi gentium agitis? an quod literæ tuæ nuper ad me nuntiabant, in Ubiis? Felices Ubios! quibuſque adeò bene eſſe velim. qui quidem par illud amicorum, cui alterum ægrè parare queas, ſecum continent. nam quis, fidem tuam Scultete, ex omni Germanica nobilitate Sigiſmundo noſtro Burghuſio certare auſit? quis ipſo genere & virtute nobilior, ad humanitatem adfabilior, ad amabilitatem acceptior, ad omnia denique

homine & libero digna ſtudia, qui quidem una ætate ſit, eruditior? nam ceteras fortunæ corporisque dotes, quibus ille ſe infinitis aliis præputare, ſi velit, poſſit, nihil hîc dicere attinet. ne quas in ipſo omnes cum ſtupore animi dotes vidimus, hæ quicquam, quod illis contendant, habere poſſint. Te autem ipſo quem nunc ex noſtratibus Poëtis invenire dicam acutiùs, diſponere prudentius, eloqui autem Latinius? in cujus quidem carminibus quæ publica jam res ſunt (ne quis me ignota fabulari exiſtimet) ea elucet nativa verborum proprietas, ea optimorum quorumque ſcriptorum veterum imitatio, ut verè quem ex innumeris Germaniæ noſtræ poëtis tecum componam vix inveniam, quem autem præferam habeam omninò neminem: nam iſtos Anagrammatum magiſtros, qui nobis Eteoſticha, qui Acroſticha, qui alias nugas coagmentant, peream ſi tanti exiſtimavi, qui in culina ſive (ut noſtri rure loquuntur) latrina boni poëtæ verſificentur, ſive anagrammatiſmos ſcribant, quos ſi quisquam ſanus fecit (quod ſcio feciſſe neminem) & ipſi faciunt. Et nos etiam, Scultete, ſi cum iſto larvatorum verſificum grege inſanire cupiamus, quid vetabit, quin totos (quod iſti, di voſtram fidem, lucumones ſolent) anagrammatum libellos conſcribamus? Sed tu quidem, ſat ſcio, didiciſti quod ex Horatio Petronius inculcat: *Odi profanum vulgus & arceo.* quamvis eam quidem minimam tuarum laudum ſciam. Sed tamen ut tuam præclaram in Philoſophico & Juris civilis ſtudio eruditionem præterirem non invidia quadam quaſi qui laudatis minoribus virtutibus tuis majores ademtum eam, ſed ne in hoc malivolorum proventu illud mihi quis occineret, Ne ſutor ultra crepidam, factum tibi perſuadebis. nam de verſificatoribus

 noſtris,

noſtris, in quibus & nos cenſemur, nonnihil fortaſſe judicare poſſum; & ipſe jam, non tam poëtam, quàm poëtarum veterum repurgatorem ago: Atque quam felicem eum hodie in Plauto præſtiterim, te mi cariſſime judicare velim. Curculion. act. I. ſc. 2.

A N. *Quàm longè abeſt à me?* P H. *lumen hoc vide.*
Grandiorem gradum ergo fac ad me obſecro.
Salve. A N. *egon ſalva ſim qua ſiti ſicca ſum?*

Videbis toto illo loco, (ut in his Criticis libris fieri verum eſt) diligenter conſiderato diſtinctioni huic verbum nullum faciendum eſſe. A N. *Grandiorem gr. ergo f. a. m. obſecro.* P H. *Salve.*

Eadem ſcena:

—— *Sed quid eſt? quid lubet perditum*
Dicere te eſſe? P H. *quia, id quod amo, careo.*

Levis eſt ſed vera, opinor, correctio: *qui lubet.* Quî pro quare. Caſina. Sc. ultima.

Ubi tu es qui colere mores Maſſilienſes poſtulas?
Nunc tu ſi velis me ſubicitare proba eſt occaſio.

Pœnitet me pigetque Interpretis qui in re tam turpi explicandâ nequiquam tam multa verba ſumſerit. Nam ſic interpretatur; quaſi ſervus hero ſuo ſtuprum conſuadeat. quod ſi verum eſt, nova loquendi ratione dicemus, ſubicitare aliquem pro alicui ſe ſubſternere & ſubicere. Sed quî iſtuc tibi in mentem venit ſuſpicari? Enim Maſſilienſes, quorum mores ſenex imitetur, impudici & effeminati ſemper habiti. acutè! quaſi ubi plures cinœdi fuerint, ibi non etiam ſint pullipremi & ſubulones plurimi. num quid aliud Maſſilienſes illi, quàm Sodomæi olim, factitarunt? Subicitare itaque hîc perperam ſcriptum pro ſubigitare. Hortatur enim ſervulus nequam ſe pro Caſina ducens ut ſe experiri

riri velit, ſicut ſtatim: *etiamne imus cubitum? Caſina ſum? Non amas me?* Subigitandi verbo (ut in libris optimis Camerarianis & Langianis ſcribitur) ſæpe utitur. In fine Captivor. Mercatore act. 1. ſcen. 2. verſ. 90. & ſeq. Et plus centies alibi. Extremâ fabulâ:

Nunc vos æquum eſt manibus meritis meritam mercedem dare.

Suaviter & hîc ineptias riſi Interpretis, qui putat Plautum dixiſſe manus meritas Romanorum, id eſt, fortes, pugnaces & victrices beneque de repub. meritas. Immò meritis non debet conjungi cum manibus, ſed vero intellegi de hiſtrionibus, quibus ita meritis manuum plauſus debetur. En cor Zenodoti, en jecur Cratetis!

EPISTULA XX.

CONRADO RITTERSHUSIO SUO JC.

NUnc vide ſis, mi Rittershuſi, ſi poſſim donata reponere lætus. Tu mihi mittis elegantiſſimos elegos tuos, mihi in ambroſiæ loco gratos, tamquam priſca illa & nativa verborum ſignificatione, variarum quoque ſententiarum intertextura nitidiſſimos: quod ſcribendi genus maximopere mihi cordi eſſe noſti: Ego invicem pauculas tibi Apulejanas lectiones offero, eas tu tamen, qui tuus in me nihil tale promeritum amor eſt, non minus gratas tibi habere ſoles, quàm ego munus, quod dixi, tuum. Adeò tu me amore & omni amoris ſignificatione antevetere ſtudes. Libro 4. Metamorph. ubi de latronibus ſermo, qui puellam nobilem raptam ſecum adduxerant:

[At

[At illi introvocatæ anui præcipiunt, adſidens eam blando, quantum poſſet, ſolaretur adloquio: ſeque ad ſectæ ſueta conferre.] Vides rectius eſſe, *conferunt*, quod in veteri codice exſtabat. Sequitur: [Quod ſi pergis ulterius; jam facto lacrymis iſtis, quas parvipendere latrones conſuevere, inſuperhabitis, viva exurere.] Vidiſti tu jam olim Colvio ejusque Ariſtarcho inviſum; legendum ſcilicet: *jam faxo*. & ſic quoque in v. c. reperi. *Faxo exurêre* pro fiet ut exuraris. quomodo Plautus ferè ſemper loquitur, & nos alibi diximus. Et infra in fabuloſa de Pſyche narratione: [Sic immenſum procedit indies opinio; ſic inſulas jam proximas, & terræ plusculum, provinciasque plurimas fama porrecta pervagatur.] Scribo cum ſcripto libro. *projecta*. Nonius projectum interpretatur, longè jactum, extenſum. Siſenn. lib. IV. [Tum poſtquam apud Æginos ac Peruſinos ejus facti mentionem projecit.] Et ceteroqui *proicere* pro augeri & increbreſcere uſurpant. Cic. 2. de Finib. [Quod ſtuprum, quæ libido ſe non proripiet ac projiciet aut occultatione propoſita, aut impunitate, aut licentia?] Sequitur ſtatim in Apulejo: [Paphum nemo, Cnidum nemo, ac ne ipſa quidem Cythera ad conſpectum deæ Veneris navigabant.] In mſ. *vagitabant*. de quo verbo quæramus. Immediatè ſequitur: [Sacra deæ deferuntur, templa deformantur, pulvinaria proferuntur, cerimoniæ negleguntur &c.] Putabam primum σφάλμα eſſe typographicum in, *deferuntur*, cùm legendum ſit *deſeruntur*. Sed video jam in Colvii & Vulcanii editione ita impreſſum, & in mſ. pro illo *deferuntur* ſcriptum, *proferuntur*. quod ego verum exiſtimo, ut ſcilicet proferre pro in aliud tempus differre dictum ſit, ſicut *Res proferri* dicuntur, cum indictis feriis aut ludis judi-

cia

cia & res forenſes intermittuntur vel differuntur. Terentius Andr. act. 2. ſcen. 1. *ſaltim aliquot dies Profer, dum proficiſcor aliquò.* Profer (ait interpres) id eſt, prolata, produc, differ. Cic. 13. ad Attic. Diem proferre dixit. Deinceps in Apulejo lego: *pulvinaria proteruntur*, id eſt negleguntur, & quaſi conculcantur. quomodo & *Obterendi* verbo Lucretius uſus fuit lib. 1.

Quare religio pedibus ſubjecta viciſſim
Obteritur, nos exæquat victoria cælo.

Inferius in querelâ Veneris Pſychen ſibi æquari dolentis: [Et imaginem meam circumferet puella moritura.] Vetus liber: *morcina.* rectum puto: *morticina.* Sic per contemtum æmulam ſuam appellat, cùm aliàs morticina dicantur, quæ non mactata, ſed per ſe mortua ſunt. Sed & Gloſſæ generatim pro mortali accipiunt. Θνησιμαῖος *morticina.* Sequitur Veneris ad filium Cupidinem oratio, quem vindictam ſpreti materni honoris exſequi jubet: [Vindictam tuæ parenti, ſed plenam tribue: & pulchritudinem contumacem reverenter vindica.] Quære nunc quid ſcriptura libri veteris faciamus, quæ talis eſt: *& in pulchritudinem continuam reverenter viridica.* Statim pòſt petit ut Pſychen in amorem hominis viliſſimi illiciat, quem & aliis verbis diſcribit, & his denique: [tamque infirmi, ut per totum orbem non inveniat miſeriæ ſuæ comparem.] Sed pròbo ſcriptam lectionem: *tamque infimi.* nam ſanè cur ibi infirmum dicat, non video. Inſolentius nimirum viſum ſciolis, *tam* cum ſuperlativo jungi. Sed ita tamen Cic. 2. de finibus: *Deinde dolorem tam maximum.* Et in Lucullo: *Quo etiam magis vituperanda eſt rei tam maximè neceſſaria* &c. Sequitur: [Et oſculis hiantibus filium diu ac preſſulè

preſſulè ſaviata.] non inſuperhabendum, quod in veteri libro eſt: *oſculis vibrantibus.* Sic Catullus: *Dulce rideat ad patrem, ſed micante labello.* Et Horatius: *Dum flagrantia detorquet ad oſcula Cervicem.* Sequitur in Apulejo: [Dei Mileſii vetuſtiſſimum percontatur oraculum: & tanto numine precibus & victimis ingratæ virgini petit nuptias & maritum.] Vides opinor mutulam & mancam orationem, nec quicquam in ſcripto libro præſidii, qui tamen pro illo *tanto* legit *cauto.* Te itaque de totius loci reſtitutione ſatagere velim.

EPISTULA XXI.

CHRISTOPHORO PFLUGIO

in Euteren, E.Q. Miſno.

ADſentio tibi Pflugi ſuaviſſime, quod ſuper Milite Plauti advorſum me nuper innuebas. Tot enim in ea loca ſunt, quæ ſagaciſſimorum quorumque acumen ſolicitare queant. Tu autem qui præter ceteros illi ſaluti eſſe poteras, quin medicari tamdem properas? quin mittis, quas ex ſtipulatu debes, omnes illas emendationes tuas? quod ſi forte gravioribus curis præpeditus Plauti noſtri nonnihil oblitus es, ecce hunc tibi flagitatorem ad oſtium, meam inquam epiſtulam, in quam, quæ ad eamdem, quam dixi, Comœdiam pauca notaveram, hodie mihi referre viſum eſt. Longa illa & celeberrima ſcena act. 3. v. 123. editum adhuc in omnibus libris vidi:

Pol ſi habuiſſem, ſatis cepiſſem miſeriarum liberis.
Cenſerem emori, cecidiſſetne ebrius, aut de equo uſpiam,
Metuerem, ne tibi defregiſſet crura aut cervices ſibi.

Sed tu mendum quod verſu ſecundo latebat ſane-

quam

quam ſagaciter odoratus es legendum ſcilicet: *Cenſerem è moro*, vel *muro cecidiſſet ne ebrius* &c. quod particula, *aut*, te ſupicari fecit. Eamque emendationem Giphanio valde probari memini, qui tamen putat verbum *Cenſerem* hoc modo nihil, quo referatur, habere. quare ſic legere & interpungere poſt te maluit:

—— Satis cepiſſe miſeriarum liberis
Cenſerem, è muro cecidiſſet ne &c.

atque adeo locum optimè conſtitutum exiſtimo; non item quem nunc addam ex Sc. Quantas res. LV. *Ita verò, ut tu ipſe me dixiſſe dictites.* nam, ut ſcis, in ambobus Camerarii codicibus ſcriptum eſt, *delices* pro dictites. Puto autem legendum: *Dedices.* Dedicare idem eſt quod dicere vel adfirmare, de quo plura in Carmine Lucæ Fruterii, quod ego in Veriſimilibus meis in Giphanii gratiam publicavi. Videndus etiam Nonius. Act. 4. ſc. 1. admoneo cum altero manuſcripto legi oportere:

Volup' eſt quod agas, ſi id procedit lepidè ex ſententia.

nam volgatum, *voluptas eſt*, verſum turbat, qui trochaicus ceteris conſimilis eſſe debet: niſi illuc confugere velimus, quo homines ingenioſi ſolent, ut *Voluptas* anapæſtum eſſe dicamus, & mediam brevem faciamus, eo quod in Volupe brevis ſit. Sed quid opus iſtiusmodi tricis ubi plana membranarum lectio? Sc. Jam eſt ante ædis.

MI. *Sed amabo mitte me actutum.* PA. *quin tu huic reſpondes aliquid,*
Aut facturum, aut non facturum. quid illam miſeram animi excrucias,
Quæ nunquam male de te meritaſt? PY. *at jube eampſe exire huc ad nos.*
Dic me omnia quæ volt facturum.——

Sic

Sic totum locum reſtitui; qui paullò aliter volgò legitur. Primum verſu ſecundo ſcribſi; *animi excrucias*, quia & teſte Lipſio in Vaticanis & in Camerarii libris ſic exſtitit. Verſu tertio ex altero Camerarii codice ſcribſi: *malè de te merita eſt*, ubi aliàs, *male tibi dixerit.* quod planè ineptum eſt. Ideone mulierem non debet cruciare, quia numquam ipſi maledixit? at nec bene etiam dixit, quippe quæ nihil umquam verborum cum ipſo fecerit. nam de ipſa Acroteleutio iſtic ſermo eſt. nam *Huic* & *illam* opponit invicem: *huic*, ancillæ: *illam* Acroteleutium. Deinde quod *Eampſe* poſui, ubi volgo, *eam ipſam*, doctiſſimi Rittershuſii noſtri commentum eſt. ſed veriſimillimum. nam in utroque Camerariano repererat, *eam ipſe.* quod ex veteri & venuſta illa voce depravatum intellegis.

EPISTULA XXII.

GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO JURISCONS.

O Beatos illos Veriſimilium libellos! quos tu, vir clariſſime, hac nuper tranſiens viæ comites ex bibliotheca Gentillis tui potiſſimum exoptaſti. mihi quoque etiam gratulor, qui te virum eruditiſſimum & in Sereniſſimi Electoris Palatini, cui tu à ſecretiſſimis conſiliis, variis negotiis ampliter occupatum, mearum ineptiarum arbitrum habere poſſum. quando itaque ſponte tua meos libellos tibi legendos ſumſiſti, quin multò benigniùs jam à me rogatus hæc noſtra conſideraturus ſis dubitare nequeo. Ex libro

libro quarto Apuleji de Aſino compluſculas variantes lectiones ad oram libri mei olim adnotatas hodie exſcribebam, quarum partem jam ſubſcribam. [Nec me cum aſino vel equo meo compaſcuus cœtus attinere potuit, adhuc inſolitum alioqui prandere fœnum.] Quòd *attinere* pro detinere vel retinere dixerit, cuivis ex Plauti lectione paret. Sed illud admonendum dixi, pro *cœtus* legendum, ut in veteri mſ. legebatur, *hortus*. quomodo Latinius quis dixerit. [Video frondoſi nemoris convallem umbroſam; cujus inter varias herbulas & lætiſſima vireta, fulgentium roſarum niveus color renitebat.] Elegantius futurum, ſi legas ut Rittershuſius noſter: *renidebat*, quamvis nec volgatum non habeat, quo ſe auctore tueri poſſit. [Tunc invocato hilaro atque proſpero eventu, curſu me concito proripio.] In veteri illo libro ſcriptum: *curſu me perconcito*. quod fortè verum ſit. Sed Modius tamen maluit: *curſu me percito pr.* Sequitur: [Nec mora, cùm jam in meridiem prono jubare, rurſum nos & præcipuè me longè gravius onuſtum producunt illi latrones ſtabulo.] Sed mihi non fortè viſum fuit illico, cùm ſcriptum in ſchedis veteribus comperi: *pleno jubare*. quomodo & apud Propertium lib. I. Eleg. 16. amator excluſus loquitur:

Me mediæ noctes, me ſidera plena jacentem,
Frigidaque Eoo me dolat aura gelu.

Sed eam lectionem tamen, tamquam ineptam, eruditionum pater & deorum ſuboles Joſephus Scaliger, ex Propertio ejecit, ſubſtituitque ex mſ. ſuo: *ſidera prona*. Et quamvis olim putavi eodem modo dictum, ſicut ſidera quædam tempeſtatem inferentia confici, confecta quoque dicuntur, cum jam ſævit tempeſtas, nunc tamen aliter quàm dictator

tor ille noſter, ſapere vel ſentire nolim. Non multò pòſt ſequitur in Lucio noſtro: Certè latrones partim impatientia moræ, partim ſtudio feſtinatæ fugæ, dorſi mei ſarcinam duobus ceteris jumentis diſtributuros, meque in altioris vindictæ vicem lupis & volturiis prædam relicturos.] Sit latinum, non ſit, *altior vindicta*, nihil hîc attinet diſputare: niſi quod mihi concinnior videatur futura lectio: *meque maijoris vindicta vicem.* Nam ex *maIioris* (quomodo veteres & ipſe Tullius ſcribebant) *in altioris* factum ſuſpicor, cum præſertim ſciolus non caperet locutionem, vicem vindictæ quod tamen elegantiſſimum eſt & ab eruditiſſimo Stewechio plurimis exemplis confirmatum. Proximâ paginâ: [De ſummo vertice fons adfluens bullis ingentibus ſcaturibat, perque prona delapſus evomebat undas argenteas. jamque rivulis pluribus diſperſus, ac valles illas amnibus ſtagnantibus irrigans &c.] Vide ſis quanto verius in manuſcripto fuerit: *agminibus ſtagnantibus.* Agmen enim (ait Macrobius libro 6. Saturn. cap. 4.) pro actu & ductu quodam ponere non inelegans eſt: ut Virgil. 2. Æneid. Leni fluit agmine Tybris. immò & antiquum eſt. Ennius enim in quinto ait: Quod per amœnam urbem leni fluit agmine flumen. Hæc Macrobius. Sed magis probo Servii interpretationem qui agmen illo Virgilii loco pro fluore accipit. Sed in Pſeudo Servio volgato nec vola nec veſtigium iſtius interpretationis comparet. Sic itaque ex ſchedis, quas ſuo tempore pleniores dabo ſupplendus eſt: *Leni agmine) Levi impetu vel fluore: & multis rebus hoc nomen adjungitur.*

CASPARIS SCHIOPPI, FRANCI,

SUSPECTARUM LECTIONUM LIBER QUARTUS.

EPISTULA I.

Inluſtri viro

PETRO FABRO J.C.

NIſi facile noſſem, vir Inluſtriſſime, atque adeò ex libris tuis ipſe didiciſſem, quàm non averſeris hoc ſcriptionis genus, quod emaculandis veterum ſcriptis impenditur: numquam te hac mea epiſtula compellare animum induxiſſem. Dabis itaque veniam juvenili meæ audaciæ, ſi quem & ipſum ſumma cum laude auctoribus veteribus medicinam factitaſſe ſcivi; eum ego potiſſimum his emendationibus plautinis judicem capere volui. Rudente act. I. ſc. 2.

Cererem te melius, quam Venerem ſectarier,
Amorem hac curat, tritico curat Ceres.

Corrigere conabar: *triticom curat.* Sed jam nihil mutandum cenſeo, niſi forte, *Amori* legendum ſit. ut hac eadem ſcena: [Illis curandum cenſeo, Sceparnio.] Et Trinummo: [Sed ego ſum inſi-

 pientior,

pientior, qui rebus curem publicis.] Et Truculento. [Nimis otiumſum arbitror hominem eſſe te. DI. quianam arbitrare? AS. Quia tuo veſtimento & cibo alienis rebus curas.] Et Sticho: [Inter illud tamen negotium meis curavi amicis.] Sic Accius Antigona: *Jam jam neque di regunt, Neque profecto deûm ſummus rex omnibus curat.* Et Apulejus Apologia: *Diſcat Æmilianus, quoniam usque adeo rebus meis curat.* Scena ſequenti tertia:

—— libera ego
Prognata fui maximè, nequiquam fui.
Numqui minus ſervio, quam ſi forem ſerva nata?

Sic ſcribſi; volgo: *Nunc qui.* Sic infra eadem Comœd. act. 3. ſc. 4. *ego triſurcifer ſum. tu es homo apprimè probus, Numqui minus haſce oportet eſſe liberas?* id eſt, an propterea minus debent eſſe liberæ? Et act. 4. ſcen. 3. *numqui minus, Si veniat nunc dominus cujus eſt, ego qui inſpectavi procul, Te nunc habere, fur ſum, quam tu?* Pſeudol. act. 1. ſc. 2. de ſecuri retunſa: LO. *At hac retunſa eſt.* LE. *Sine ſiet. itidem vos eſtis plagis omnes, Numqui minus ea gratia tamen omnium opera utor?* Act. 2. ſc. 1.

Nos jam de ornatu propemodum ut locupletes ſimus, ſcitis.

Concinnior futura viſa fuit lectio: *Vos jam d. o. propemodum, ut l. ſimus, ſcitis.* Et ſc. 3. actus ejusdem de naufrago:

Neptunus magnis poculis hac nocte eum invitavit,
Credo hercle Anancæo datum quod biberet.

Non equidem neſcio, ut illud de Anancæo veſtrates viri doctiſſimi explicarint: ſed magis tamen inclino ut probem, quod Matthias Bergius, hujus Noricæ Academiæ quondam Ethicus Profeſſor, unicum

unicum pietatis & eruditionis ſingularis ſpecimen, cujusque libris de religione, ſi edantur, plurimos hac ætate Theologorum errores correctum iri ſpero, excogitavit, ut legamus: *ab Antæo datum.* fuit enim is Antæus Neptuni filius. Actu 4. ſc. 1.

Jam opplebit meas aures ſua vaniloquentia.

Camerariani duo: *oppilebit.* unde non dubito quin legi debeat: *oppilabit.* quo verbo & Lucretius utitur:

Eſt quoque uti poſſit magnus congeſtus arenæ
Fluctibus adverſis oppilare oſtia contra.

id eſt, oſtia fluviorum implere & occludere. Sic & alibi oppilationem aurium legere memini. Sic Cicero Philipp. 2. [Niſi ſe ille ſub ſcalas tabernæ librariæ conjeciſſet, hisque oppilatis impetum tuum compreſſiſſet.] Actu 4. ſcena 3.

Sed tun' umquam piſcatorem vidiſti, venefice,
Vidulum piſcem cepiſſe?

Valde placet, quod in utroque Camerariano reperi: *Sed tu en umquam.* En umquam pro umquamne, quando? Gloſſæ: *En umquam* εἰποτε. *En usquam* εἴπε. Sic ſcena ſequenti: Quæſo en umquam hodie licebit mihi loqui? Et Trinum. Sc. Minus quindecim. O pater En umquam adſpiciam te? Terent. Phormione act. 2. ſc. 3. En umquam cuiquam contumelioſius Audiſtis factam injuriam?

EPISTULA II.

THEODORO CANTERO V.N.

TE quoque, Cantere nobiliſſime, quamvis graviſſimis iisque publicis negotiis diſtrictiſſimum ad has emendatiunculas noſtras penſitandas advocare nihil veritus ſum. Vix enim mihi perſuadere poſſum, ſummam illam humanitatem tuam (qualem quantamque cum tali eruditione conjunctam eſſe oportet non jam conſentaneum ſed neceſſarium eſt) non tantiſper ſe interdum demittere, ut adoleſcentum bonam mentem amantium ſtudia cum favore quodam conſideret. Sequitur in Diomede, à quo ſuperiùs diſceſſimus: [P. Rutilius de vita ſua: Uni una oſtentata eſt. Item P. Lucius Cœlius ad populum ex hoc derivavit participium: Ex hoc me ſpero oſtenturum.] Sed ita membranaceus codex: *Item pro L. Carutio ad populum ex hoc d. participium: Quod ego me ſpero oſtenturum.* Quæ ſi pro illis volgo volgatis amplectimur, ad eumdem P. Rutilium auctorem referenda erunt. Sequitur ibidem: [Et Varro rerum ruſticarum primo: Lacus optimus hamo oſtentus. At quia cacephaton videbatur, deorum vehiculum tenſum dixerunt non tentum, ne verbum turpe ſonaret in ſacris. Scripti codicis lectionem, etſi eam ad verba Varronis mendoſam eſſe certò mihi perſuaſerim, nihilominus tamen proponam. *Locus optimus umo ſit oſtentus olei, non tentus nec oſtenſus. Et quia caceph. v. d. v. t. dixerunt.* Sine dubio autem hæc ſunt illa Varronis verba libro primo, cap. 25. quo in agro ferenda ſit Vinea: *Qui locus optimus vino ſit & oſtentus ſoli.* Porrò in Diomede *Thenſam* non *tenſum* legendum eſt. de qua Servius 1. Æneid. ad illum

illum verſum : *Hic illius arma , hic currus fuit.* Quia itaque nullam hinc gratiam à doctis iniri poſſe video , quæ ibi ſequuntur attentabo. [Sed is expergitus dicitur , qui non excitatus ſomno ſponte vigilat. Unde & Lucillius ait : Ergo è ſomno pueros cum mane expergitus clamo : Experrectus autem à quiete impeditus. Unde Salluſtius : Experrectus ſomno arreptis armis tumultum facere.] Hic volentibus ut opinor Muſis & doctiſſ. Grammatici manibus reſcribo : [Sed is expergitus dicitur , qui ſatiatus ſomno ſponte vigilat. Unde & Lucill. ait : Ego è ſomno p. c. m. e. c. E. a. a. q. i. U. Salluſtius : Interdum ſomno experrectus , arreptis armis.] Ibidem ſequitur : [Medito & meditor item differunt , Nam ut putat Plinius Meditare eſt ſecum cogitare, meditari voce dicere.] Sed legendum ſine dubio cum veteri codice : Medito & melito item differunt , ut putat Plinius. meditantem eſſe ſecum cogitantem , melitantem cum voce dicentem.] Et hinc video non abs re fuiſſe , quod totiens veteres inculcarunt Grammatici τὸ *Medito* à Græco μελετᾶ deduci , τῶ L , ut ſæpè , in D. commutato. Et verò apud Græcos μελετᾶν pro meditari & melitare ſive declamare accipitur: & μελέτη declamationem quoque ſignificat. Sic enim gloſſæ veteres μελέτη ῥήτορ☉ Declamatio.

EPISTULA III.
SOLOMONI PANTHERO RUSSO.

Utinam , ingenioſiſſime Panthere , quantam mihi lectio epiſtularum tuarum , quas hic olim cum Rittershuſio meo ſuper Auſonianis lectionibus mutuitabas , cotidie voluptatem conciliat , pari te lætitia has meas Plautinas caſti-

gationes ad te mittens delibutum reddam. quod quia ſperare nequeo, patieris hoc à te impetrari, ut eas non omninò ingratas tamen habere velis. Aulul. act. 2. ſc. 1.

—— eia hoc face,
Quod te Jubet ſoror. ME. *ſi jubeat faciam.* EV. *in rem*
Hoc tuam eſt.

Fidem tuam Panthere umquamne quicquam vidiſti ineptius? Jubet ſoror, ut Megadorus uxorem ducat. Ille recuſat. nam quid opus fuit plura ei rei argumenta ab Eunomia adferri, ſi ultro facturus fuit? Sin recuſat, quid igitur illa heic nobis faciunt, niſi ut turbent: *ſi jubeat faciam?* quare certum eſt non arbitrarium ſcribi debere; *ſi lubeat faciam.* quod miror ab aliis ex Langianorum librorum fide nondum etiam reſtitutum. Jam act. 3. ſc. 4. edunt:

Narravi amicis multis conſilium meum
De condicione hac. Euclionis filiam
Laudant, ſapienter factum & conſilio bono.

Vidit Rittershuſius noſter poſſe quid in oratione hac deſiderari, quod minus nimirum Latine cohereat. quare medicari ſic conatus eſt: *De conditione hac Euclionis filia. Laudant.* Ceterum quanto veverius fuit adjecta ſpuria litera corrigere; *Euclionis filiâ Laudant ſapienter factum.* Sicut. Quid tuo factum eſt pallio? quid me fiet? de quo alibi. Sc. ſequenti:

Pro re nitorem & gloriam pro copia
Qui habent, meminerint ſeſe unde oriundi ſient. - -

Sententia & ſenſus, ſi quis eſt mihi ſenſus, poſtulant ut ſcribamus; *Præ re nit. & g. præ copia.* q. d. non eſt quod me hominem ex pauperibus oriundum hortaris ut nitidus in nuptiis filiæ eſſe velim. nam

homines

homines pauperes, quaſi ego ſum, qui nitorem & ſplendorem magis curant, quam ipſam rem familiarem, ſuam egeſtatem illi recordari debent, rem ſuam familiarem male domi ſtructam eſſe. Interpres quæ hic conſomniavit, caſſa nuce contra non ſunt vilia. Cujus ſtuporem quoque miror ſuper iſtis. Sc. Dixi tibi mater.

I hac intro mecum gnate mi ad fratrem meum.
Ut iſtuc quod tu me oras efficiam tibi,
Ut iſtuc quod me oras impetratum ab eo auferam.

nec enim indicat verſum medium eſſe ſpurium & gloſſema turpiſſimum, quippe Impetratum auferre ſeu impetrare nihil aliud eſt, quam efficere. Ut alibi: *Incipere multo quam impetrare facilius.* Sc. ſequenti:

Ubi ille abiit ego me deorſum duco de arbore.

Scio ſic legere Nonium & explicare pro demittere, deſcendere. Sed Nonium ſæpe vitioſis codicebus uſum, id quoque ſcio. quare ſuſpicabar olim: *duo de arb.* id eſt. do. Dare ſe aliquo, dare ſe ex ædibus, dare ſe ad parietem, jam protrita ſunt.

Epistula IV.

BONAVENTURÆ VULCANIO.

Nimis velim, Vulcani doctiſſime, manuſcripto illo Apulejo Bertiniano uſus fuiſſes novam iſtius ſcriptoris editionem daturus. nec enim fieri potuiſſet, quin homo mirificè doctus & ingenioſus ex veteris ſcripturæ, quamvis mendoſæ, veſtigiis ea odorareris, quæ ego ut adoleſcens nullius judicii ſæpè præterire ſoleo. Sed quia jam factum nullo modo infectum fieri

poteſt,, eas quas inde proponam lectiones qualeſcumque cupidè tamen arbitraberis. Libro octavo edidiſti. [Noctis gallicinio venit quidam juvenis proxima civitate.] Mſ. *quidam ex proxima villula.* Ibidem: *Equiſones*, ut ſemper in v. l. & rectè exaratum fuit. Statim poſt: [Sed ut cuncta noritis, referam vobis à capite, quæ geſta ſunt, quæque poſſent merito doctiores, quibus ſtilos fortuna ſubminiſtrat, hiſtoriæ ſpecimen, chartis involvere.] Mſ. *Quæ poſſit meritò doctiores, quibus ſtilum f. ſ. in hiſtoria ſpeciem ch. in.* Placent omnia, niſi quod malo: *poſſit merito doctior, & quibus ſt.* Poſtea de canibus venaticis fervidis disſoniſque miſcent omnia.] Mſ. *latratibus ſecundis.* Ibidem de apro: [Nec tamen illa (beſtia) genuini vigoris oblita, retorquet impetum, & incendio feritatis ardeſcens, dente compulſo, quem primum inſiliat contabunda rimatur.] Mſ. *incendio ferocitatis ardeſcens denſium compulſa.* quivis videt verum: *dentium compulſu.* Ibidem legitur: [At Thraſyllus feræ quidem parcens, ſed equi, quo vehebatur Leopolemus, poſtremos poplites, lancea feriens, amputat.] ſed ineptè: corrigo ex l. v. *pepercit, ſed.* Sequitur: [At enim furens aper, invadens primò lacinias ejus, poſt ipſum reſurgentem multo dente laniavit.] Mſ. *Nec diu ſcilicet eum q. aper furens invadit jacentem ac primò lacinias* &c. Et ſtatim: [At ille, quamquam perfecto voto, proſtrato inimico lætus ageret.] Mſ. *peracto voto.* Et ſtatim: [Cadaver, quod ipſe fecerat, avidè amplexatus] Non debuit recepta lectio à Colvio tuo ſolicitari; *circumplexus.* quod mſ. confirmatur, venitque è circumplector., quod idem eſt cum amplector, eoque & Cicero uſus eſt. Sequitur; [Necdum ſatis ſcelere tranſacto, fama dilabitur.] Mſ. *dilatatur.* Sic Cicero gloriam dilatari dixit. Poſtea: [Sed officiis ferialibus ſtatim

tim factis, puella protinus feſtinat ad maritum ſuum demeare.] In mſ. & volgatis libris eſt: *ſtatim ereptis*. Colvius in ora libri ſui adnotatum ait, alios legere, *erectis*. Non dubito rectum eſſe: *exactis*. Non multò pòſt: [Thraſyllus verò, præceps & temerarius, priusquam dolorem lachrymæ ſatiarent &c.] Mſ. *Sed Thraſyllus præceps alioquin qui & temerarius*. Ego verba iſta, *qui & temerarius*, omninò deleo, tamquam gloſſema turpe. nám præceps etiam temerarius dicitur. [Corruit corpus & obnubilavit animam.] Mſ. *obumbravit*. quod magis placet. Statim: [At illa, ut primùm mœſta quieverat, toro faciem impreſſa, etiamnunc dormiens &c.] Ut verborum operam compendifaciam, tantum indico in mſ. rectè legi: *Conniverat*. De eadem puella ſequitur: [Et nequiſſimum percuſſorem punire, & ærumnabili vitæ ſe ſubtrahere tacitè decernit.] Mſ. *ærumnali vita ſ. ſ. tacita decernit*. Infra: [Quieſce ſecurus (mſ. *ſecurè*) beatè ſomniare. non ego gladio, non ferro petam.] Vide ſi melius fecerim: *beatè ſomnia: te non ego gladio*. Pagina ſequente: [Et enarratis ordine ſingulis.] Malim cum mſ. *Et jam enunciatis ord. ſ.* Enunciare ut & rudioribus dixi in Veriſimilibus, próprie eſt ſecreta ignota quæque meritò taceri oportuit, cum aliis communicare.

EPISTULA V.
ISAACO à BURGSTORF, EQ. MARCHICO.

PRæclarus ſane ſcriptor (non tam meo, qui de Philoſophis judicium meum non eſſe judico, quam doctiſſimorum quorumque virorum animo) præclarus inquam &, quod Italis philoſophis rarum eſt, terſus & politus eſt Flaminius Nobilius. Cui tamen, absque te eſſet, nihil, vel illud certè parum, Germania noſtra debitura fuit. Erat enim noſtratibus planè ignobilis ille Nobilius, antequam tu operam, ut ejus Ethici libelli Docti, Jupiter! & bene expoliti à Marpurgenſi typographo imprimerentur, ſedulò addidiſti. quorum exemplum quod mihi per D. Rittershuſium hoſpitem utriusque noſtrûm reddi voluiſti, nimiumquam gratum id mihi & volupe eſt. Video enim te amicitiæ & convictus noſtri ſuaviter ſæpe recordari. Ego quamvis tale munus, quod tuum compenſet, in præſentia mittere nequeo, ne tamen omnimo me ingratum, aut tui oblitum exiſtimare poſſis, noſtras pauculas in Plautum conjecturas ad te allegare ſtatui. Rudent. act. 2. verſ. ultimo:

Nunc lenonem, quid agat intus, viſam, convivam meum.

Scribo cum Camerariano mſ. *quid agat interviſam.* Sic Sticho; *immo interviſam domum.* Verſu quoque præcedente ſcribi debuit, ut in membranis: *Ibidem obdormiſſemus*, non *edormiſſemus*, quod ibi plane alienum eſt. Act. 3. ſc. 2.

Quibus adverſum jus legesque inſignitè injuria hic Facta eſt, ſitque in Veneris fano. ——

Ἐμφατικώτερον futurum ſi legas, ut Rittershuſius cen-

cenſuit: *idque in V.* Nec paullò probabilior ejusdem lectio ſcena ſequenti ſuper hoc verſu:

Nosque ab ſigno intimó vi deripuit ſua.

nimirum: *deripuit ſumma.* Nam *vi ſua* frigidiuſculum eſt, & ne quis metri leges cauſſetur, ſequens quoque verſus Scazon eſt. Act. 3. ſc. 6.

I dum, Turbalio, atque curriculo adfer huc
Duas clavas. LA. *clavas.* DAE. *probas: propera cito.*

Manuſcripti: *Sed probas.* malim. *Et probas.* Act. 4. ſc. 4. poſtulat Trachalio vidulum quem Gripus mari exceperat, Palæſtræ mulieri & Ampeliſcæ oſtendi, ſi forte is eſſet, quem leno amiſerat, in quo ſigna inſuerant, quibus Palæſtra parentes ſuos reperire poſſet. Sic itaque ille:

Hæ poterunt noviſſe, oſtendere his jube.

Non potui, quin indicarem hic ſcriptum in duobus membranaceis codicibus fuiſſe: *Hæc poterunt.* quomodo veteres dixiſſe alii jam olim docuerunt, & Donatus ad Terentium admonuit. Sic Moſtell. Periere hæc oppidò ædes. Et ſupra Rudente: Sed hæc ſunt pauperes res, inopesque. Sic Apulejus: Hæc arbores. Eadem ſcena:

Quin te di omnes perdant, qui me hodie oculis vidiſti tuis.

Malo cum duobus isdem libris: *Qui te di o. p.* Nam *Qui* vel *quod* imprecationum notæ & fere pro utinam dici amat. Pſeudol. Malum quod tibi dei dabunt, qui ſic ſceleſtus. Moſtellar. act. 3. ſc. 1. Malum, quod iſti di deæque omnes duint. Ita mea conſilia pervortit pleniſſime. Et Trinummo Sc. Huic ego. Qui iſtum di perdant. Ennius Telepho: Qui illum Di deæque magno mactaſſint malo:

Eodem

Eodem actu 4. ſc. 8. verſum ſecundum ita nobis edidere:

Atque adornare ut rem divinam faciam cum intro advenero.

Sed peſſimè; trochaicus enim eſſe debuit, eritque ſi, *adorna*, legas, quomodo præter ipſam ſententiam &. membranæ legi jubent. Sc. Qui homo. non explicatum eſt ab Interprete Gallicano, quid ſibi velint illa Lenonis commodum ex naufragio erepti verba:

O ſcirpe ſcirpe laudo fortunas tuas,
Qui ſemper ſervas gloriam aritudinis.

Scis autem me cum ab hinc triennium communi Ritterhuſii noſtri menſa uteremur, & ego tum Plautum legere inciperem, ſic à me explicatum: Leno ſe præ ſcirpo contemnit, quia ſi ſuis bonis contentus, ut ſcripus ariditate ſua, fuiſſet, nec ſpe amplioris lucri profugere tentaſſet, numquam illuc miſeriarum, quo conjectum ſe ſentit, venturus ſibi videbatur. In qua pænè puerili explicatione mea non video cur quidquam nunc mutare debeam. Tu vale juvenis nobiliſſime & me ſolens ama.

EPISTULA VI.

JOHANNI à WOUWEREN.

VAlde velim, Wouweri elegantiſſime, hæc in Apulejum noſtra exactiùs paullò conſideres; quem ego unicum de juventute noſtrâ hodie ſuperare exiſtimo, cujus operâ præmaturos Palmerii & Gulielmii obitus leniusculè feramus. Eam enim apud omnes eruditos exſpectationem de te concitaſti, adornatâ præclara illa Petronii

tronii editione, ut politiores illæ literæ plurimum ſibi de te polliceri habeant. Et verò hunc quoque Mileſiarum ſcriptorem tibi eſſe in deliciis, ſatis docent, quas jam olim ad Giphanium noſtrum miſeras, ingenioſæ emendationes tuæ. nos, ne erres, ſimiles illarum non promittimus, ſed leviuſculas, & (ut ſimpliciter dicam) tales, quæ à vobis majorum gentium Criticis præteriri ſolent. Lib. 1. Metamorph. volgant: [Jam ad lubentia proclivus eſt ſermonis & joci, & ſcitum eſt cavillum, jam dicacitas tinnulla, cùm ille imo de pectore cruciabilem ſuſpiritum ducens &c. inquit.] Interpretatur quidem Colvius: Socratem fuiſſe proclivem ad lubentia ſermonis, ſive ad lubentes & lætos ſermones; ſed ut illud admittam, tota periodus minus mihi videbitur Latinè coherere. In Bertiniano mſ. reperi *à lubentia.* quare conjeci: *Jam à lubentia proclivus eſt ſermo, riſus & joci* &c. Et jam incipiebamus poſt lubentiam & hilaritatem ex cibo & potu contractam varia garrire, ridere & jocari. Notum enim ut hæc conjugi ſoleant. Infra lib. 2. [Jam illatis luminibus epularis ſermo percrebuit, jam riſus adfluens, & joci liberales, & cavillus hinc inde. Lucretii:

Tum joca tum ſermo tum dulces eſſe cachinni.

Sequitur in Apulejo: [Quò ne ad iſtam faciem bona uxor eſt mala fortuna perduxit.] Haud dubie verum eſt, quod & Colvius in plurimis libris exſtare ait: *Quod me.* & miror hoc ab eo ut deculpatum inſuper habitum fuiſſe. Nam *Quod* pro quoad veteres frequentabant. Et apud Agellium quidem hodieque in mendo cubat lib. 17. noctium Attic. cap. 9. [Hominem poſtea, quod capillus adoleſceret, domo continuit.] Sic enim ibi Giphanius in v. l. reperit. volgo *quoad.* Sic Suetonius in libello

libello de illuſtr. Grammatic. de Marco Pomponio Marcello: [Solœciſmum ab adverſario factum uſque adeò arguere perſeveravit: quod Caſſius Severus interpellatis judicibus dilationem petiit.] Sic in veteribus libris inventum Achilles Statius Luſitanus repudiavit & *quoad* iſtic loci ſuppoſuit. Tacitus extremo lib. 5. de moribus Tiberii: [Morum quoque tempora illi fuere diverſa. egregium vita famaque, quod privatus vel in Imperiis ſub Auguſto fuit.] Ibidem, de muliere, quam Meroë perpetuâ prægnatione damnaverat: [Quæ cum ſubinde ac multi nocerentur, publicitus indignatio percrebuit, ſtatutumque eſt, ut in eam die altera ſeveriſſimè ſaxorum jaculationibus vindicaretur.] Priora illa ſatis nubila ſunt; nec ſcio an tali vel ſimili interpolatione illuſtranda: *Quæ cum, perinde ac multi, noceretur, publicitus* &c. Volt enim dicere; non illam ſolùm mulierem miſere ab anu illa vexatam, ſed & multos alios. *Noceri*, paſſivè. Nam & Plautus Nocere aliquem dixit. Milite actu 5. ſcen. ult. *Jura te non nociturum hominem hac de re neminem.* nam in membranaceo Camerarii Codice ſic ibi legitur, cum volgatum ſit: *homini hac de re nemini.* Similiter apud Vegetium rectiſſime Stewechius vir undiquaque doctiſſimus & ingenioſus ex membranaceis ſchedis reſtituit: *Ne noceantur ab ignibus.* Sequitur in Lucio noſtro. [At verò cœtus illius auctorem nocte intempeſta cum tota domo, id eſt, parietibus, & ipſo ſolo, & omni fundamento, ut erat clauſa, ad centeſimum lapidem in aliam civitatem ſummo vertice montis exaſperati ſitam, & ob id ad aquas ſterilem tranſtulit.] In manuſcripto quidem Codice legas: *ſteriles.* Sed volgata ſcriptura multò eſt elegantiſſima. Urbs ad aquas ſterilis, pro quantum ad aquas attinet, ut noſtri rure loquuntur. Utitur hac phraſi Cicero ſæpiſſimè, ut multis

exemplis

exemplis Donellus docuit ad l. 8. §. in illa. D. de verb. oblig. Unum illuſtre heic addam ex pro Muræna: *Quapropter non ſolùm illa gloria militaris veſtris formulis atque actionibus anteponenda eſt; verum etiam dicendi conſuetudo longè & multum veſtræ exercitationi ad honorem antecellit.* quare hic quidem receptam lectionem contra Douzam F. & Gruterum noſtrum qui malunt: *ab aquis ſterilem*, tuebimur, ſed in ea dubitari poteſt, quæ paucis interjectis ſequitur: Ego verò adducta fore peſſulisque firmatis, grabatulo etiam pone cardines ſuppoſito & probè aggeſto, ſuper eum me recipio.] nam in veteri libro erat, *probè adjecto*, quod neſcio utrum ſit meliùs, & quid ſi legatur: *attecto.* lectum foribus cubiculi diligenter oppeſſulatis admovit ne quis intrò ſe penetrare poſſet, neu fores facilè effringeret, atque adeo quo difficiliùs lectus removeri poſſet, eum variis rebus in cubiculo inventis texit & oneravit. Sequenti pagina facilè probabis mſ. lectionem: [Ac etiam ne quid demutaret credo à victimæ religione.] Præ eo quod editi habent; *Nam etiam.* Unum etiam addam, eadem nimirum pagina cum volgatur: [Commodùm limen evaſerant & fores ad priſtinum ſtatum [integræ] reſurgunt,] farcturam vocis *Integræ* abiciendam, cum & à V. C. abſit & gloſſema aliquod reſipiat: quod tamen tu arbitraberis & bene valebis.

EPI-

EPISTULA VII.
JANO DOUSÆ FILIO.

EXemplo virorum doctiſſimorum doctus ipſe nullam variantem veterum membranarum lectionem inſuperhabere ſoleo : ſicut & hodie nonnullas in Plauti Milite colligebam , de quibus tuum Douſa doctiſſime judicium audire ſtudeo. Act. I. ſc. I. cum aliis edidiſti :

Ergo mecaſtor pulcer eſt , inquit , mihi ,
Et liberalis viſus. caſaries quam decet !

In duobus vetuſtis codicibus paullò aliter : *Et liberalis vida & caſar.* ut volgariam lectionem ſuſpectam habeam , metri leges me ſubigunt , præter membranarum diſſenſum. Suſpicatus quidem fui ſcriptum fuiſſe : *Et liberalis. Vidae caſſaries q. d.* Vidæ pro vide ut ſæpiſſime factitatum comperi dum cuſos & ſcriptos libros inter ſe contenderem. Ceterum neſcio quid aliud portenti latere iſtic puto. Paullò pòſt :

Ut te hodie quaſi pompam illac præterducerem.

Sed haud dubie veriùs in ſcriptis libris ; *illa præterd.* Illa , pro illac , ut *illi* pro illic , de quo alibi. Sic Perſa act. 4. ſc. 5. in mſſ. fuit ; *Illa per hortum* & *iſto* pro iſtoc hac eadem fabula. Sc. Inde. Do fidem ſi omittis , iſto me intro ituram quo jubes. ita in 2. libris ſcriptum, volgò *iſtoc.* Scena ſequenti ſecunda :

Comœdia quam nos modo acturi ſumus.

ſcribendum cum utroque mſſ. *Comœdiai.* Sed ita cogemur in verſu Creticum admittere , quod facere nulla mihi eſt religio ; niſi acturi prima brevis eſt,quia *ago* priorem brevem habet. Statim ſequitur.

Hoc

Hoc opidum Epheſu'ſt, inde eſt miles meus herus,
Qui hinc ad forum abiit glorioſus, impudens.

In membranis prior verſus ita viſitur: *Hoc opidum Epheſum eſt: idem eſt miles meus herus.* quem nollem à viris doctis mutatum, præſertim à patre tuo, qui *indidem* pro idem reſcribere maluit. demonſtrat enim quaſi intento digito herum ſuum Palæſtrio. Pergit ibi ſervus:

Id volo vos ſcire, quomodo ad hunc devenerim.

quia in membranis fuit: *ad hunc convenerim*; forte legendum: *ad huncce venerim.* Non multò poſteriùs:

Ego quanto citiùs poſſum, mihi navem paro.

Sic edidit Lambinus quem tu ſequeris, volgati: *quantum unus*, & illud mendoſe, nec ſcio verius ſit, *quantocius.* quo alibi quoque Plautus utitur. Sicut *Tantocius* apud Terentium. Scenâ quæ proximè ſequitur:

Quare, ego hinc abſceſſero abs te huc interim.

malo cum utroque mſſ. *Quare ego hinc.* Scenâ quartâ:

Forte fortuna per impluvium huc deſpexi proximum.

vel ob hunc locum minime pœniteat me operæ in conſiderandis variis lectionibus poſitæ. quanto enim melius fuerit, ſi ex duobus mſſ. legamus: *huc deſpexi in proximum.* quî enim impluvium proximum dici queat, non video. In proximum eleganter pro, in ædes vicinas ſive proximas, Sicut infra: [Dixtin Tute vidiſſe in proximo hic ſceleſte me oſculantem?] Et ſupra in argumento hujus fabulæ; [in proximo devortitur.] Sequitur:

Sceledre, ſceledre. Sc. *quis homo interminat?* Pa. *eſt te alter audacior?*

N Pro

Pro *interminat* in utroque mſſ. apparet, *interemat.* quod ſine dubio depravatum eſt, & neſcio quid moſtelli alit. nam certe & volgata minus ferri poteſt, quippe ubi nemo etiam interminatus fuit, ſed tantum appellavit. Sc. Præcepta facito.

Nam arguere in ſomnis me familiaris meus mihi viſuſt
Me cum alieno aduleſcentulo, quaſi nunc, eſſe oſculatam.

Lego cum libris ſcriptis: *quaſi nunc eſt.* id eſt, ſicut nunc res ſe habet. nam ſic eleganter verbo ſubſtantivo optimus quiſque veterum uſi ſunt. Moſtellar. Dum intera ſic ſit iſtuc actutum ſino. Sc. Satin abiit.

Satin abiit ille, neque herile negotium
Plus curat, quam ſi non ſervitutem ſerviat?

In duobus Mſſ. *ſervitute ſerviat.* ſicut & infra act. 3. ſc. 1. ſcriptum:

Tam capularis, tamne tibi diu videor vita vivere?

Paullò poſt:

Perii hercle, hic ad me recta habet rectam viam.

in utroque v. c. *recta abit recta via.* Rittershuſius noſter maluit, *adit* pro abit. Propter locum qui in Pſeudol. act. 4. ſc. 2. [Ad me adit recta. unde ego hominem hunc eſſe dicam gentium.] quæ tamen mutatio minime mihi neceſſaria videtur. Siquidem præpoſitio *Ab* ſæpe non ex loco, ſed in alium locum ſignificat. Terent. Eunucho. Illa inlico ubi me accepit, læta ad ſe abducit domum. Et Adelph. Ad me abducta eſt domum. Sic Pœnulo act. 5. ſc. 3. legendum auctoribus libris veteribus:

Tu abduc hos intro & una nutricem ſimul.

nam

nam & eadem ſcena ſequitur. *Tu iſtos Milphio Abduce intro.* Et eadem fabula Sc. penult. cum altero Camerariano ſcribo:

Is etiam me ad prandium ad ſe abduxit ignaviſſimus.

EPISTULA VIII.

CONRADO RITTERSHUSIO SUO JC.

PArum etiam, Rittershuſi amiciſſime, Apulejus ſibi poſcit loci: quare ut Juris illos Conditores, quorum exemplum feliciter imitaris, diutile ſeponas, teque ad legendas & arbitrandas haſce variantes lectiones accingas vehementer te etiam atque etiam rogo & pro amicitia noſtra, qua me beatiorem voluiſti, flagito. Libro 8. de aſino volgant: [Turbæ medius & inter conferta jumenta latenter abſconditus.] malo ut in v.l. exſtat: *conſerta.* Sicut paullò pòſt: [Nam lupi forſitan conſertæ juventutis ſtrepitu vel certè nimia luce flammarum deterriti.] Ibidem de equo volatico, Pegaſo: [Dum altum adusque cœlum ſubſilit ac reſultat.] Mſ. *dum in altum & adusque cœlum.* quod mihi elegantiùs nonnihil videtur. Eodem libro: [Habens ex eodem famulitio conſervam conjugem, liberæ cujuſdam extraneæque mulieris flagrabat cupidine.] Malo cum mſ. *conjugam.* Sic principio fere libri ſexti.] Magna Jovis germana & conjuga.] Poſteriùs de formicis: [Ultro citroque commeabant multijuga ſcaturigine.] Placet magis quomodo in v. l. ſcriptum: *Ultro citro.* Sicut initio ferè libri primi de aſino: Hujuſcemodi cauponarum mercibus per Theſſaliam, Ætoliam, Bœotiam ultro

citro diſcurrens. Ibidem de eo qui arbori melle delibutus, ut formicis pabulum præberet, alligatus fuerat: [Quæ ſimul dulcem ac mellitum corporis nitorem perſentiſcunt, parvis quidem, ſed numeroſis & continuis morſiunculis &c.] Mirum nec Colvium nec Vulcanium duos Brugarum ocellos vidiſſe corrigendum: *nidorem.* Pòſt paullò ubi ſe Apulejus aſinus cum aliis venalem productum narrat: [Ac me relictum ſolum ac ſubſicivum cum faſtidio plerique præteribant.] Mſ. *ſubſicitium.* de quo quid ſentias exſpectavero. num; *ſubſcititium?* velut adſcititius. Ibidem præco de aſini noſtri ætate quærenti jocabundus reſpondet: [Mathematicus quidam, qui ſtellas ejus diſpoſuit, quintum ei numeravit annum. ſed ipſe ſcilicet melius iſtud de ſua novit profeſſione.] Ceterum in mſ. Sic: *quintum ei nunciavit annum. Sed i. ſ. m. i. de ſuis novit profeſſionibus.* Ibidem: [Quidam tunicas albas, in modum lanciolarum quoquoverſum fluente purpura &c.] Placet Modii correctio: *in modum laciniarum.* Et paullò pòſt, de muneribus ſacerdotibus deæ Iſidis oblatis: [Nec non & vini cadum, & lactem, & caſeos & farris & ſiliginis aliquid.] In mſ. fuit: *lactes.* id eſt, ovilla inteſtina, ſive potius abdomen aut pinguedinem. Sed quid his quæſo verbis faciemus, quibus narrat, ut quidam quaſi furore divino percitus in ſe ipſum gladiis & flagellis ſævierit? & ſubjungit: [Quaſi Deûm præſentiâ ſoleant homines, non ſui fieri meliores, ſed debiles effici vel ægroti.] Neſcio tamne facilis hic locus Colvio viſus fuerit, ut omnino heic taceret, an ego, qui mei ingenii ſtupor eſt, in iis cæcutiam, quæ luce clariora ſunt. Videtur ironicè improbare factum Galli iſtius cinœdi, qui ſe præſentiam Deæ mentitus ita cruentaret; nam deorum præſentiâ homines meliores fieri, non debiles vel ægrotos. Sed

hoc

hoc ita commodius fuiſſet: *Quaſi Deum præſentia non ſoleant homines fieri meliores, ſed.* Eodem libro ferè extremo, legendum vides cum mſ. [Porro quirites proclamare geſtivi.] Ubi volgant: perclamare. quod nihili eſt. Nunc quoniam ex hoc libro nullam memorabilem lectionem in exemplari meo ſuperare video, deſperatum Colvio locum, quoque nullus magis Caſaubonum doctiſſimum exercuit ex Peroratione Apologiæ adſcribam: [Si Philoſophiæ honorem, qui mihi ſalute mea antiquior eſt, nuſquam minui: immo contra ubique ſi cum ſeptem pœnis eum tenui.] Ingenioſè, ut omnia, Caſaubonus conicit: *Si circumſeptum pennis tenui:* ut ad accuſatorem referatur & ad venationem alludatur, quæ fit per lineam pennis rubentibus diſtinctam. Sed veriùs Scipio Gentilis Italus ad oram libri ſui adnotavit, non de accuſatore, ſed de honore philoſophiæ ſermonem eſſe. Quarè ſcribit: *Si conſeptum penè eum tenui.* Mihi tamen *conſeptum pennis* (quoniam, *pennis*, in Romano codice ſcribitur) magis placet, ut dicat ſe maxime ſollicitè honorem philoſophiæ ab injuriis inimicorum cuſtoditum habuiſſe. Tralatio jam unde petita ſit, nihil attinet commemorare.

EPISTULA IX.

GEORGIO GLACIANO.

CUm plerique omnes libri, quos mecum vir doctiſſime ex pulcherrima bibliotheca tua, quæ tua eſt humanitas, communicare ſoles, gratiſſimi & ultiliſſimi eſſe ſolent, tum vel heri miſſus ad me Horatius ille cum imaginib. & annotationib. Lorcherianis mirumquantum me jam ex laboribus meis diurnis nonnihil defeſſum recreavit. quàm enim feſtivæ mehercle imagines

illæ & quam non à ſuâ quæque odâ alienæ? Nê ego, ſi id noſtrates typographi exemplum reſciſcant, faxim & corpus Juris, altique ejus notæ libri ad illam faciem cum formis & figuris æneis imprimantur. namque edepol aliud quidem illis Jurisprudentiæ an cauſidicinæ ſtudioſis, quid Corpore juris opus ſit neſcio, quibus gloſſæ antevéteres & quæ nuncrecentes ex officina Argentinenſi calent magis quam ipſa ſacratiſſimi, ut vocant, imperatoris verba curæ cordique ſint. at ſi accedant inſuper figuræ, quas dixi, æneæ, quantò cupidius eos ad Juris ſtudium acceſſuros & tantum non advolaturos exiſtimabimus? Sed quid ego alienis nunc rebus curo, quæque nihil ad me attinent? quare tibi pro illo aliiſque tuis in me benefactis plurimas habeo, mi Glaciane, agoque grãtias, atque ut animum parumper ad ea quæ in Plauto hodie corrigebam attendas vehementer te rogo & pro jure amicitiæ noſtræ jubeo. Aulular. act. 2. ſc. 1.

—— verba ne facias ſoror.
Scio quid dictura es, hanc eſſe pauperem, hæc pauper placet.
EV. *Di bene vortant.* ME. *idem ego ſpero.* EV. *quid me nunc quid vis?* ME. *vale.*

Verſu ſecundo malim cum Langianis libris legere: *Scio, quod dictura es.* pro ſcio te dicturam. Sic Aſinaria act. 1. ſc. 2. *Equidem ſcio jam filius quod amet meus.* Sic & tuus Cicero 10. ad Atticum epiſt. 4. Cum ſcribſiſſet, quod cuperet, me ab urbem venire. Livius: *Quod duo fulmina domum meam per hos dies perculerint, non ignorare vos Quirites arbitror.* Sed amplius verſu poſtremo ſcribo: *quid? me numquid vis?* Velle aliquem, Comica phraſis ut illud, Paucis te volo. *Numquid vis?* ſermo abeuntis:

fre-

frequentius quo nihil in Comicis. Sic Amphr. Pſeudamphitruo Jupiter abiturus ad legionem Alcumenam rogat: Numquid vis? AL. ut cum abſim me ames me tuam abſentem tamen. Sic Captivis diſceſſuri invicem Hegio ſenex & paraſitus: Numquid vis? HE. venias tempori. PAR. memorem mones. Sic Curculione act.4. ſc.2.

LY. *Summane, numquid nunc jam me vis?* CV. *Vale atque ſalve.*
Nam & operam & pecuniam benigne præbuiſti.
LY. *Salutem multam dicito patrono.* CV. *nunciabo.*
LY. *Numquid vis; leno?* CA. *iſtas minas decem.*——

Sed quid opus multa congerere exempla, omnes ſuppeditant fabulæ. Sc. ſequenti:

Tu me bos magis haud reſpicias, gnatus quaſi numquam ſiem.

Latinitatis ratio olim ſuadebat mihi ut ſcriberem: *gnatus quàm ſi n. ſ.* ſed nunc impendio probo Langianarum membranarum ſcripturam: *gnatus quam numquàm ſiem.* τῷ ſi eleganter omiſſo. Sic Catull.

Verum utrum illius, an mei, quid ad me?
Utor tam benè, quam mihi pararim.

Plura nuper in Veriſimilibus. Scenâ proximâ:

Nam ecaſtor malum mœrorem metuo ne miſtum bibam.

Diu jam eſt cum locum hunc de menda ſuſpectum habeo, cum poſtea itidem Grutero acutiſſimo, amico noſtro viſum comperi. Is legit: *ne muſtim bibam*, hoc eſt, ne bibam mœrorem adhuc muſteum, nec ſatis defecatum, ut alludat ad merum, quod exauditur in illo mœrorem. Simo Ulricus Piſtoris referente eodem Grutero malebat: *ne amyſtin bibam.* Ingenioſè mehercle uterque; modò ut verè! Non valde nuto in veteri mea ſen-

tentia, legendum; *malum meracum metuo, ne miſtum bibam.* Elegans jocus in re minimè jocoſa. Metuo ne bibitura ſim merum ſeu meracum malum, ut ita non bibam miſtum vel dilutum, ſed erit malum meraciſſimum, nullo plane bono dilutum vel temperatum. De bibendi verbo rectè admonuit Lambinus, rectè Gulielmius: ſolere nimirum Plautum de malo & infortunio tamquam de potione aliqua loqui. Caſina: Ut ſenex hoc eodem poculo, quo ego biberet. Act. 3. ſc. 2.

—— *quid diximus tibi ſecus quàm velles?*

In Camerariano: *ſequi uſquam velles.* Verè Ritterſhuſius noſter: *ſecius quàm velles.*

Epistula X.

MATTHIÆ HUBNERO POMERANO.

Cum aliàs lectione librorum Apuleji de Aſino, omni honeſta urbanitate penitus conditorum, mirè reliquorum laborum feſſus recreari ſoleo, tum hodie non ſemel, ſed ſæpius ac immodicè mecum riſi ſuper loco qui eſt libro ſeptimo, ubi miſellus Lucius in aſinum reformatus ſe ſuſpicione, quam omnes de expilatis Milonis ædibus in ipſum immeritiſſimum conjecerant, liberari cupit. Ex illis & hæc ſunt: [Hac (*lego hoc*) tantum impatientia productus volui dicere, Non feci. Et verbum quidem præcedens ſemel ac ſæpiùs immodicè clamitavi, ſequens verò nullo pacto differere potui; ſed in prima remanſi voce, & identidem boavi, Non, Non.] Miſerum profectò opus eſt, ubi, ſi nihil mali in te admiſeris, nullus cauſſando locus ſit. quo ægrius tum aſino

Apulejo

Apulejo noſtro fuiſſe veroſimile videtur. Ceterum oratio tamen mendoſa eſt & corrigenda ex libro ſcripto : *præcedens ſæpius ac immodice cl.* Eodem libro : [Nam procuratorem principis ducenaria perfunctum , dehinc fortuna triſtiore decuſſum , prætereuntem coram fueram adgreſſus.] Monſtrum alit ſcripta lectio : *inorato fueram adgreſſus.* nolo Criticorum iſtorum more , qui ſoli elegantes, acuti , docti & quid non denique audiunt , & Catullum Sapphica ſenûm pedum ſcribere docent , ineptias meas heic prodere meque cordatis viris deridendum propinare. Ad ſequentia attendamus: [Nec multò pòſt adveniunt illi , vinarios utres ferentes , & gregatim pecua comminantes. Unum prælectum grandem hircum annoſum & horricomem Marti ſecutori Comitique victimant.] Rectiſſime manuſcriptus : *Unde prælectum g. h.* Sic & apud Symmachum ſcriptum fuerat : *Sed unum mihi optare tantum.* ubi docui in Veriſimilibus ſcribendum : *Unde mihi.* Sequitur de aſſimulato latrone Hæmo : [Et adgreſſus inſigni facunditate , gnaviter cuncta præminiſtrat , verrit , ſternit , coquit , tuceta concinnat , apponit ſatullè : ſed præcipuè poculis crebris grandibuſque ſingulos ingurgitat.] Manuſcriptus paullò aliter : *Et a. i. facilitate g. c. præminiſtratui, verrit, ſ. c. t. c. apponit ſcitulè. ſ.p.* &c. quæ omnia probo præter illud , *præminiſtratui.* quod ex initio ſequentis vocis depravatum videtur. Poſtea : [Sic apud hiſtoriam de rege Thracio legeram , qui miſeros hoſpites ferinis equis ſuis lacerandos devorandoſque porrigebat. Adeò præpotens ille tyrannus , ſic parcus ordei fuit &c.] In veteribus editionibus & mſ. quoque Bertiniano fuit : *Adeon præpotens.* Unde Stewechius : *Adeo .n.* hoc eſt , enim. Sed Modius illam lectionem defendit cum interrogationis nota propter ſimilem

locum qui fuit libro ſexto, de naulo Charontis: *Ergo & inter mortuos avaritia vivit?* &c. Paullò pòſt narrat Apulejus, quam tetram & duram ipſe in aſinorum cenſu numeratus ſervitutem ſervierit: [Nec me montis excelſi tantum arduum fatigabat jugum, nec ſaxeas tantùm ſudes incurſando conturbabam ungulas; verùm fuſtium quoque crebris ictibus perſæpe dedolabar; ut uſque plagarum mihi medullaris inſideret dolor, coxæque dextræ ſemper ictus incutiens, & unum feriendo locum, diſſipato corio, & ulceris latiſſimi facto foramine, immò fovea &c.] Gratum me multis facturum arbitror, ſi quæ vetus fuerit ſcriptura una opera exponam. *Nec m. m. e. t. a. f. j. n. ſ. t. ſudes inceſſando conterebam ungulas: v. f. q. c. ictibus proclive dedolabar, u. u. p. mihi medullitus inſ. d. c. d. ſ. i. i. & u. f. l. d. c. & volneris latiſſ.* &c. Quam totam facile probabunt, niſi quod eos de verbo, *inceſſando* & *proclive* dubitaturos opinor. nec ego tamen jam ad alia properans quicquam idonei invenio. ſtatim poſt: [Lignorum verò tantum me premebat pondere, ut ſarcinæ molem elephanto, non aſino paratam putares.] Sententia ſuadet ut legamus: *tanto me pr.* De eodem puero à quo ſe tam malè habitum adhuc queſtus fuit, ſubicit: [Cum fluvium tranſcenderemus, qui fortè præter viam defluebat, pedibus ſuis ab aquæ madore conſulens, ipſe quoque inſuper lumbos meos inſiliens reſidebat: exiguum ſcilicet & illud tantæ molis ſuperpondium.] Mſ. *ſcilicet & ille.* Deleta particula, *Et*, ex repetitis poſtremis præcedentis vocis literis enata, lego: *ille tantæ molis.* quomodo elegantiſſima conſtituetur oratio.

EPISTULA XI.

HENRICO MEIBOMIO
Poët. Cæſar. Profeſſori pub.

QUam truculentè Plauti Truculentum ſcioli & librarii perditiſſimi habuerint, fabulam auctori ſuo unam omnium (ſi M. Tullio credimus) cariſſimam, aliis ex doctorum virorum querelis notum eſſe poteſt, tibi etiam, Meibomi doctiſſime, reabſe experiundo gnarum eſt. Nec enim elegantiſſima illa tua carmina & odas homini Germano invidendas ex uno alteroque veterum ſcribere didiciſti, ſed uti vero ſimilius eſt, omnem tibi antiquitatem perluſtrandam, ipſumque præ ceteris Plautum, linguæ latinæ puriſſimum fontem penitus rimandum prius duxiſti. nec tibi non feliciter ipſum illud negotium ſub manus ſucceſſit. quod te tacente mele tua Alcaica, quæ ego homo ceterum ad novorum nova poëtarum carmina mire voltuoſus non ſine voluptate percurri, facile ex ſe prodant. Credibile eſt, quod ceteris decimæ illius Muſæ, Plauti inquam noſtri, ſtudioſis uſuvenire ſolet, te quoque Æſculapium aliquem tacitè vovere, qui huic Hippolyto Plautino manus medicas & ſalutares admovere velit. Ego certè jamdiu aliud nihil voveo, utque pro mea parte aliquem excitarem, has variantes hodie lectiones in eamdem fabulam exſcribſi. quæ quanti faciendæ ſint, tu, Meibomi, æſtimabis & bene valebis. Sc. Puero iſti. Phroneſium meretrix ſic de ſe reliquoque ſexu ſequiore profitetur:

Cumque eam in rem in corde agito, nimio minus perhibemur

Malæ,

Mala, quam ſumus ingenio. ego prima de me modo iſta dictito.

Manuſcriptorum lectio placet: *de me modo dicta dictito.* Sc. Ne exſpectetis.

Sine virtute argutum civem mihi habeam pro præficâ,
Quæ alios collaudare abſentes, ſeſe verò non poteſt.

Quomodo Præficæ abſentes collaudent, neſcio; ſed putabam præſentia potius cadavera in funere ab aliis collaudari ſolita. In libris ſcriptis ita fuit: *collaudare apſa ſeu vero non poteſt.* Putabam corrigi poſſe: *collaudare eapſe ſe vero n. p.* Eapſe pro ipſa teſte Feſto. vel etiam: *collaudare ſapſe ſe vero n. p.* Sapſa pro ipſa. Ennius: *Quo res ſapſa loco ſeſe oſtentatque jubetque.* Sc. Ite hac.

*Si æquum facias, haud * meos incuſes, quorum mihi*
Dona accepta grataque habeo, tuaque ingrata, quæ abs te accepi.

Recte veteres editiones & libri Camerariani: *ſi æquum facias adventores meos non incuſes*, quod Douſa non rectè mutatum ivit in: *haud datores meos incuſes.* Adventorem pro hoſpite dici, dixit qui cuncta ſolus ſcit divinitus, Joſephus Scaliger, dixi & ego nuper in Veriſimilibus. Sic ſupra Sc. Ad fores. aſſervate ædes, ne quis adventor gravior abeat, quàm adveniat. Sc. eadem immediatè ſequitur:

S T. *Tum pol ego & donis privatus ſum & perii.*
G E. *plane iſtuc eſt.*
*Quid nunc ergo huic odio es * * buſteus.*
S T. *Perii hercle hodie, niſi hunc à te abigo.*

Medium verſum puto eſſe Phroneſii verba, quem ex libris ſcriptis aliter expleo quam Lambinus:

P H.

PH. *Quid nunc ergo huic odio es confeſſ. omnibus reus.*

Puto, *confeſſis.* vides te omnibus teſtibus confeſſis reum eſſe. Tu dicis te periiſſe, & ego autem dico, & hic Geta idem dicit. quare quid huic moleſtus eſſe pergis? Nec tamen diſſimulabo in altero ſcriptum codice fuiſſe: *huic odioſe es.* quod mihi magis placet, ſic tamen ut *hic* legamus, id eſt, quid hic manes qui omnibus odioſus ſive exoſus es. act. 3. ſc. 1.

Nunc ego iſtos mundulos urbanos amaſios
Hoc ictu exponam atque omnes eiciam foras.

Quem locum cogitavit Diomedes l. 1. de verbis incohativis: [Item amo veteres incohativo modo dixerunt amaſco. Unde & amaſcos amatores dicebant, ut Plautus in Trucul. Jucundos amaſcos. Hio, hias ex quo iterativum figûratur hiato, hiatas.] Sed iſta Diomedis verba medicum aliquem quærunt. Scribo ex v. c. *Unde & amaſſios a. d. ut P. Truc. Iſtos mundulos amaſios. Nevius: Nunc primulum amaſco. Eſt præterea Hio, hias* &c. Sc. ſequenti cum ſervus, quem modò ancilla è truculento tranquillum fecerat, ad ſuam priſtinam truculentiam rediturus eſſet, ſic cum ancilla compeſcit:

—— *anne autem ut ſoles?*

Præceſſerat vox, *nihili* cujus poſtremam literam repetendum legendumque puto: *jamne autem ut ſoles?* quod apud Comicos ſæpius eſſe noſti. Sic Bacchid.

Eho an inveniſti Bacchidem? PI. *Samiam quidem.*
CH. *Vide quæſo, ne quis tractet illam indiligens.*
Scis tu, ut confringi vas cito Samium ſolet.
PI. *Jamne ut ſoles?* ——

Et Aulular. ſc. ult. plenè: Jamne autem ut ſoles deludis. EPI-

EPISTULA XII.

MATTHIÆ KUCHELIO ULMANO.

AUdivit modo Hubnerus noſter, quibus Apulejus modis, cùm ſub aſini induviis ipſe Philoſophus doctiſſimus magiæ opera latitaret, à puero ruſtico omnium nequiſſimo cottidie divexatus fuerit: quòd ſi tibi plura cruciamenta ab eodem in Lucii noſtri perniciem machinata & inventa audire lubido eſt, hæc age ſis mecum ex lib. 7. conſidera: [Spinas acerrimas & punctu venenato viroſas, tortili nodo in faſcem conſtrictas, caudæ meæ penſilem deligavit cruciatum, ut inceſſu modo commotæ, incitatæque, funeſtis aculeis infeſtè me convolnerarent.] In quibus verbis levis heret macula, quam ope libri veteris tollo, legens: *inceſſu meo commotæ.* Ibidem: [Nec quidquam videbatur aliud excogitare puer ille nequiſſimus, quam ut me quoquo modo perditum iret. Idque jurans, & nonnûmquam comminabatur.] Corrige: *jurans etiam nonnumquam.* alioqui ſenſus erit mancus. Ibidem recenſet, quomodo ſibi ſtuparum ſarcinam bajulanti vel vehenti ignem ſuper injecerit idem ille puer, ut ſic nobis Apulejus noſter pænè incendio perierit. Sic enim ait: [Jamque fomentotenus caleſcens & enutritus ignis, ſurgebat in flammas & totum me funeſtus ardor invaſerat.] Sed ſcribo ex mſ. *fomento tenui.* Paullò pòſt idem puer mendacium in aſinum noſtrum confingit, quod is nimirum velut Venerius nepotulus omnes obvios inſcendere geſtiat: [Sive illa ſit mulier, ſive viro nubilis, ſeu tener puellus.] Parum quidem refert; ſed

ſed magis tamen placet: *virgo nubilis.* Pergit in eodem mendacio: Feſtivus hic amaſio humo ſordida proſtratam mulierem ibidem incoram omnium geſtiebat inſcendere.] Mſ. *in corum omnium.* Unde Fr. Modius: *in ore omnium*, ſicut apud Plautum: præter os alicui ambulare. quod mihi non videtur. Poſtea narrat, ut ruſtici de ſe, tam fœdo ſcilicet amaſio, interimendo conſilium ceperint; & alius autem eum deteſtandum ſive caſtrandum & inteſtabilem, non verò INFAMEM faciendum ſuaſerit: cujus poſtremò verba hæc ſubjungit: [Denique niſi vobis ſuadeo volentibus, poſſum ſpatio modico interjecto, quo mercatum proximum obire ſtatui, petitis è domo ferramentis ad vos actutum redire, trucemque amatorem iſtum atque inſuavem diſſitis femoribus emaſculare.] Corrigo ex v. l. *vobis ſuadeo nolentibus.* Idem dicit, quod Plautus formula ſua, Niſi tu nevis, ſolet exprimere. Eâdem paginâ narrat ut in fuga à viatore interceptus fuerit. [Baculo quem gerebat obverberans, per obliquam gravemque me ducebat viam. Nec invitus ego curſui me commodabam.] Gravem viam cur dicat, nondum evidenter perſpicio, cum ſe non invitum, ſed volentem iviſſe dicat. Præterea in mſ. eſt: *ignoramque me ducebat viam.* Placet; *ignaram.* Docuit me Muretus var. lect. lib XI. cap. II. Tacitum ferè Gnarum, Ignarum, Incautum, Neſcium παθητικῶς ponere pro cognito, incognito &c. ut Tacit. lib. 2. *Per occulta & vigilibus ignara.* Eumdem illum viatorem ſtatim malè acceptum ait à peſſimi iſtius pueri notis, Ejus & ruſticorum colloquium hoc eſt: [Quid me raptatis violenter, quid invaditis? An te nos tractamus inciviliter, qui noſtrum aſinum furatum abducis?] Malim cum libro ſcripto: *Ain? te nos tractamus incongruè,*

qui

qui &c. Sed audi pejus in Apulejum noſtrum ruſtici conſilium: [Sed plane in craſtino libet non tantùm naturam, verùm etiam caput ipſum peſſimo iſti aſino demere.] Mſ. *iſto aſino.* quod antiquarium eſt & Apuleji ſtilo convenientius. Sicut infra lib. 8. *quoivis alio felicius maritare.* Sic ibi rectè Stewechius & adſtipulatur mſ. Et rurſum: *Uno potiundi ſtùdio poſtponens omnia. Naturam* pro parte obſcena dixit. Cic. 3. de nat. deor. de Mercurio: [Cujus obſcenius excitata natura traditur, quod adſpectu Proſerpinæ commotus ſit.] Et in obſceno carmine nudus membra Priapus inquit: Natura eſt quoniam ſemper aperta mihi. Paullò pòſt anus de aſino noſtro queritur: [Et nunc iſte ſecurus incumbens præſepio, voracitati ſuæ deſervit.] Placet mſ. *Et metus iſte ſecurus.* velut Tacitus loca caſuum ſecura, &, odii ſecurus & multa ſimilia apud varios. Sequitur: [Pertica qua ſtabuli fores offirmari ſolebant, arrepta, non prius me deſiit obtundere, quam victis feſſiſque viribus &c.] Mſ. *affirmari.* quomodo & hoc libro ſuperius dictum.: *Nam corium affirmatum cineris inſperſu dominis referemus.* Sequitur: [Ardentemque titionem gerens, mediis inguinibus obtrudit: donec ſolo quod reſtabat præſidio niſus, liquida fimo ſtrictim egeſta faciem atque oculos ejus confœdaſſem.] Sapientem mehercle aſinum! Pro *obtrudit*, mſ. habet: *contrudit.* Modius malebat, *condit.* Poſtea in mſ. fuit: *liquidiſſimo ſtercoris ſtrictim.* Lego: *liquidiſſimo ſtercori ſtrictim egeſto.* Stercori pro ſtercore, cujus multa exempla in Pand. Florent.

EPISTULA XIII.

MARTINO BAREMIO BRUNSVIGIO.

PRæclaram eruditionem tuam numquam mihi ſatis collaudare quivit erudititiſſimus noſter Rittershuſius. Et quando ea utimur invicem amicitia, ut eadem velimus nolimus, eoſdem amicos communes habeamus, faciundum mihi putavi, ut & te inter ceteros viros doctiſſimos & homines amicos judicem mearum ineptiarum arbitrumque caperem. Vide itaque quid illo faciundum cenſeas Truculento Sc. 1. Act. 4. ubi adoleſcens dona ſua ab meretrice grata & accepta habita ſibi gratulatur. ſi quidem ſe, etiamſi rem diſperdat & dilapidet, ſalvum ab animo futurum. Verba:

Salvus ſum quia pereo: ſi non peream pane vicem.

Lambinus more ſuo libros comminiſcitur, in quibus ſcriptum: *plane interεam.* Cui ego quare non credam cauſſa eſt. Invitus quidem facio ut conjecturas, quas ipſe mihi nondum probavi, aliis probare porrò poſtulem: ſed quia tamen locum ſemel propoſui, non diſſimulabo putaſſe me olim legendum: *ſi non peream, panè eviter. Eviter*, id eſt, occidar. Sicut vetus apud Ciceronem poeta: Priamo vi vitam evitari. Ubi evitare vitam dictum legis, ſicut interimere alicujus vitam Caſina & Ciſtellaria. Sic Invitare pro occidere Caſin. gladium habere qui me atque te invitet. Sed de alia emendatione cogitandum cenſeo, poſtquam ſcriptorúm librorum lectionem, quæ ſit, didici. Sic itaque Camerariani duo: *Si non peream pane uriem.* In qua

O ſe

ſe ſagaces Critici exercere poſſunt. Sc. Ite hac.

—— PH. *noſter Geta, quid agis? ut vales?*
GE. *Valeo & venio ad minus valentem & melius qui valeat fero.*

Vel puer olim animadverti ineptam & ſubidam eſſe Lambini interpretationem: Ad te, quæ minus vales, venio: & adfero me qui melius valeo quam tu. Cum hoc potius dicat Geta: adfero tibi ab hero meo dona aurum & obſonia, ut melius valeas. *Qui* pro ut, Interpreti non intellectum glaucomam ob oculos objecit. Sic Curcul. act. 4. ſc. 2. *Ecquid das qui bene ſit.* Et Bacchid. Sc. 1. Bacchis Piſtoclerum colloquitur:

Ubi tu lepide voles eſſe tibi, mea roſa, mihi dicito.
Dato qui bene ſit: ego ubi bene ſit, tibi locum lepidum dabo.

quem locum interpres ſimiliter non intellexit. Sic enim explicat: Ubi te voles eleganter accipi, tum mihi dicito, mea Bacchis, mea roſa dato unde mihi bene ſit &c. Cum verius ſit: Si tu mihi dederis argentum ſemper noſtræ tibi patebunt ædes, in quibus bene tibi eſſe poſſit. Nam paucis poſt ait Piſtoclero aliquid apud hunc fluvium perdundum eſſe. Sc. Lepide efficiam.

Nam itidem ut Acherunti hîc ratio accepti ſcribitur?

Mſſ. *Nam idem ut.* verè Rittershuſius. *item ut.* Item pro ſimiliter. Plaut. Menæchm. Sc. antepenult.

Salvum tibi ita ut mihi dediſti, reddibo.

Corrigo ex utroque mſ. *Salvum item tibi ut mihi d. reddebo.* Et Nonium corrigendum puto. *Reddebo pro reddam*, ut dicebo pro dicam, Fidebo pro fidam. Nec dubito viros doctos hîc mihi adſenſuros facilè. Cicero pro Cluent. [Vos quæſo ut adhuc

huc me attente audiſtis, item quæ reliqua ſunt audiatis.] Et Symmachus lib. 1. epiſt. 11. [Sed ut hoc meæ verecundiæ competit, item tuæ humanitatis eſt, ſtudium noſtrum pari gratia ſuſtinere.] Sic enim illum locum ut in Giphaniano & Fuldano codice conſpicitur correximus lib. 2. Veriſimil. cap. 1. niſi quod & ibi in utroque codice *idem* ſcriptum fuerat, Eâdem ſcenâ cum oſtium meretricis adoleſcens excluſiſſimus occentaſſet, ſic ſe tamdem reprehendit:

Nihili me. perdidi omne quod fuit. ſio impudens.
Nec mihi adeſt ad illum penſi. jam quos capiam calceos.

Verſus hic haud dubie depravatus eſt, cui Lambinus novo modo, tacendo nimirum, medicatus eſt. Iſaacus Caſaubonus vir ætate noſtra vix cuiquam comparandus maluit: *Nec mihi adeſt tantillum penſi.* Ego jam olim: *Nec mihi ade'ſt ad illud penſi, i. q. c. c.* Pro, *adeò eſt*. Ad illud, pro quantum ad illud attinet. Sic enim particulam hanc multis exemplis explicat Hugo Donellus Juriſconſ. Itaque Symmachus locutus fuit lib. 9. epiſt. 31. [Nam Lampadium C. M. V. non utique ad ſe penſi habui, ut ſolet eſſe multorum caduca & fragilis adfectio: ſed ex eo genitos & in bona paterna nitentes propagato amore contemplor.] In Giphaniano & Bertiniano vetuſtiſſimis libris ſcriptum fuit: *non uſque ad ſapem ſi habui.* Unde conjeceram: *non uſque ad hæc penſi,* Non pro non tantum, ut alibi doceo. Ex, *hæc*, facile fieri potuit, *ſa.* quæ ſimul ac oſtendi erudito juveni, Juriſque civilis & Poëtices ſcientiſſimo, Meliori Kochio Franco, ſtatim conjecit ita ut repræſentavi legendum. *Non utique* pro non tantum. Gajus l. 41. D. de verb. ſignif. *Armorum appellatio non utique ſcuta & gladios ſignificat, ſed & fuſtes, lapides.*

Sic l. 3. §. 13. D. de ſuſpect. tutor. l. 31. §. culpam. D. de ædilit. edict. *Culpam autem omnem accipimus, non utique latam.* Dicit itaque ſe Lampadium (ut in v. l.) non ad ſe ſolum amaſſe, ſed & liberos ejus. Sc. Blitea.

> *Numquid vis?* DI. *facultas operæ ubi mihi erit, ad te venero.*

Palmaria Rittershuſii noſtri correctio: *fac valeas operæ* &c. quam nihil attinet heic confirmare. mihique in eo epiſtulam claudere viſum eſt: Fac valeas.

EPISTULA XIV.

V. CL. THEOPHILO RICHIO

Elector. Palatin. Conſiliar. & Quæſtori.

NE ego ſim barbarus oportet, & ab omni, quam profitemur, humanitate alieniſſimus, ſi tuorum in me officiorum, quæ nuper in re præſenti à te mihi præſtita fuere, umquam oblivíſci queam. Non dico jam, quod me cum comitibus meis humaniſſimè, ut erga omnes literatos ſoles, ad menſam tuam, in qua jucundè nimis fuimus, adhibuiſti; (quod quamvis magnum ſit, tibi tamen cum aliis quibuſdam commune eſt) ſed quod laudatiſſimorum ſtudiorum meorum & progreſſuum, ut tibi & clariſſimo Zundelino videri ajebas, in iis minimè pœnitendorum reſpectu, patri me clariſſimo & fortiſſimo viro auctor & ſuaſor exſtitiſti, ut porrò etiam, quamdiu res meæ ſic poſtulabunt, ſumtus ad ſtudia mea perſeveranda largiter ſuppeditare velit. quo ſanè hoc à me elogium conſequeris, ut ſi quid præterhac in his literis præſtitero, eo nomine tibi potiſſi-

potiſſimum gratias habere debeam: atque ut ſtatim quoquo modo hoc conteſtarer, has in Apulejo ſuſpectas lectiones hodie conſcribſi. Cujus hæc ſunt libro ſexto de aſino: [Teque ad extremum ſupplicium expetit & totis numinis ſui viribus ultionem flagitat.] Sed placet impendiò, quod in optimo libro veteri viſitur: *ultionem fatigat.* velut apud Maronem, fatigare Martem eſt prœlium cum clamore depoſcere. Sequitur: [Inter ſubſitæ convallis ſublucidum lucum proſpicit fanum ſolerti fabri conſtructum.] Mirum eſt, nihil heic Colvium, ceterùm ad corrigendum nimis pronum, vel de ſua, vel illius, qui ipſi in editione Apuleji Ariſtarchi vicem fuit, Lipſii ſententia admonuiſſe, cum nemo adeò ſtupidè ſtupere poſſit, quin mendoſum hunc locum vel perfunctoria lectione animadvertat. Cunrad. Rittershuſius vir doctiſſimus & hoſpes meus, ad libri ſui oram adſcripſerat: *fabrica conſtructum*, ſibi legendum videri. nec ipſum ſua ſuſpicio falſum habuit. malim tamen ut in veteri libro inveni: *fabrica ſtructum.* Pòſt paullò in Pſyches oratione ad Junonem: [Quam cunctus Oriens Zygiam veneratur, & omnis Occidens Lucinam appellat.] In mſ. *tutus Oriens.* quis non videt rectum ſcilicet eſſe: *totus Oriens.* Inferius de curru Veneris: [Et ceteræ quæ dulce canticant aves, melleis modulis ſuavè reſonantes, adventum Deæ pronunciant.] Pro *canticant*, quod non Latinum eſt, Colvius more ſuo, id eſt, licenter repoſuit: *cantillant.* quantò facilius futurum erat: *cantitant.* quo verbo Terentius, Cato, Cicero, alii utuntur. Adhoc in mſ. fuit *pranunciant.* Sed parum intereſt; ſiquidem Pronunciare idem planè notat. Sic prodicere pro prædire, unde Prodigia, quaſi Prodicia, quæ prodicunt futura. Vide Feſtum. C. pro, G. Et promittere,

pro præmittere, ut Giphanius Indice Lucretiano docuit. Sic Amphitr. act. 5. ſc. 1. lego ex Camerarii & Langii libris:

Neque noſtrum quiſquam ſenſimus cum peperit, neque providimus.

volgò *prævidimus*. Item in duobus Camerarianis ſcriptum Milit. act. 4. ſc. 4.

Si proſenſerit Miles, nihil hinc ferri poterit.

Sed & iſtic repoſuerant ſcioli: *præſenſerit*. Rudente quoque act. 3. ſc. 1. in eodem illo utroque codice legas: *Velut ego hac nocte, qua proceſſit, proximâ*, quamvis valde ſe nobis probet recepta ſcriptura, *præceſſit*. Alludit autem Apulejus ad Lucretii locum, quod item præteriit Colvius, alias nimis ferè diligens. Locus Lucretii initio libri primi:

Te Dea te fugiunt venti te nubila cœli,
Adventumque tuum, tibi ſuaves dædala tellus
Summittit flores. ——

Et ſtatim:

Aeriæ primùm volucres te, diva, tuumque
Significant initum perculſæ corda tua vi.

De adventu deorum & præſertim Veneris plura apud maximum Turnebum legere memini; quibus addi debet Turpilii verſus:

Cujus adventu inſula hodie claret Cyprus.

nam de Venere, quæ exinde Cypriæ cognomentum tulit, prolatum fuiſſe certum eſt. Eodem libro ſexto: [Videſne illud nemus, quod fluvio præterluenti ripiſque longis attenditur: cujus imi gurgitis vicinum fontem deſpiciunt?] Franciſcus Modius

Modius vir, ut de ſtudiis meis meritus eſt, numquam niſi cum honore memorandus, Criticus ſubtiliſſimus rectiſſimè conjecit: *rupique longa attenditur.* Siquidem ſtatim ſequitur: [Perrexit Pſyche volenter, non obſequium quidem illa functura, ſed requiem malorum præcipitio fluvialis rupis habitura.] Ejuſdem Modii hæc eſt conjectura, quam addam. Ibi nimirum: [Nam primi Jovis regalis avis illa, repentè propanſis utrimque pinnis, adfuit rapax aquila.] cum ſit in mſ. *premi Jovis:* Legendum: *ſupremi Jovis*, ut prima ſcilicet ſyllaba, ceu ſæpius factum, per lituram quandam interierit. De Supremo autem Jove apud maximum Turnebum plura legere operæ pretium fuerit.

Epistula XV.

NATHANI CHYTRÆO.

Has paucas in Militem Plauti lectiones noſtras, Nathan Chytræe, velut reliquiarum reliquias à te potiſſimum, ut homine omnis politioris & elegantioris literaturæ, maxime autem poëtices callentiſſimo percenſeri velim. Etſi autem levicula pleraque videri poſſunt, te tamen ſcire ſcio, quod Criticorum munus ſit, ut nihil ſcilicet ſcriptoribus emaculandis profuturum, quamvis tenue, reticendum ſibi exiſtiment. Itaque Sc. Sequimini in illis:

Militem lepidè & facetè & lautè ludificarier
Volo. Ac. *voluptatem mecaſtor mihi imperas.* Pa. *&*
ſcin quemadmodum?

ſcribo: *at ſcin quemadmodum?* Sic enim ſemper loquitur Plautus. Aul. act. 1. ſc. 1. *illuc ſis vide, ut incedit.*

incedit. at ſcin quomodo tibi res ſe habet? Si hodie hercle fuſtem cepero, aut ſtimulum in manum, Teſtudineum ego tibi iſtum grandido gradum. Et illa ipſa fabula. Sc. Poſtquam obſonavit. Et Amphitr. Sc. 1. verſ. 200. Et rurſus Aulul. verſu fabulæ penultimo. & alibi plus centies, nos tantum unum etiam locum indicabimus, ubi depravatum fuit Pœnulo act. 1. ſc. 2. verſ. 109.

AD. *Abſcede hinc ſis Sycophanta.* MI. *pareo.* AD. *ſcin quomodo?*

MI. *Sine te exorem, ſine te prendam auriculis, ſine dem ſuavium.*

In utroque Camerariano diſertim ſcriptum fuerat: *at ſcin quomodo?* quare velim ibi Adelphaſii nomen tolli. nam duæ iſtæ literæ ex *at* depravatæ ſunt. putoque eſſe hæc verba Milphionis. q. d. ego vero tibi parebo. at ſcin quomodo? nempe ut te exorem, te oſculer. Ad Militem redeo. Sc. Hera eccum.

AC. *Si pol me ducere volet uxorem, genua amplectar, Atque obſecrabo aliquo modo.*

quæ mihi perabſurda videntur. nam cur militem ſupplicuè rogare eumque obſecrare volt, ſi ultro volet illam ſibi uxorem ducere? quare *nolet* ibi reſcribendum juſſu alterius manuſcriptorum. verſu ſecundo ex ambobus mſſ. *alio modo.* Vel genua ipſi amplectar, vel alio modo illum rogabo. Paullò pòſt lego cum membranis.

—— *abi tu, illum evocatum foras, mea Milphidippa.*

nam malè editur: *evocato.* Et pòſt paullò pro volgato:

Quia non eſt intus, quem ego volo. PA. *qui ſcis?*

AC.

Ac. *ſcio edepol, olfacio:*
Nam odorem naſus ſentiat, ſi intus ſiet.

Reſcribo ex altero Camerariano: *ſcio edepol, ſcio,*
Nam odore naſum ſentiat. Ex *edepol* duæ finales literæ repetitæ iſtuc *olfacio* pepererunt. Naſum genere neutro, ut alibi: Sagax naſum habet. Naſus itaque odore, ſeu per odorem ſentire poſſit, ſi intus ſit. Sequitur:

—— ſed quid volt me facere?
M I. *Ad ſe ut eas, tecum vivere volt, atque ætatem exigere.*

ſed corrigendum ex membranis: *Ad ſed eas.* literâ. d, more Plauti interpoſitâ. Ibidem:

—— jube domum ire.,
Jam ego illic ero. M I. *vide ne ſis in exſpectatione.*

pro *jube* in mſſ. erat, *jubam.* Unde communis amicus noſter Ritterſhuſius; *jube eam.* Pro *Illic* in iiſdem *illi* ſcriptum fuit, de quo alibi dico. Poſtremò, alter mſ. habebat: *Sis in ſpectatione.* alter, *ſis exſpectatione.* Probo ejuſdem amici noſtri lectionem: *ne ſis exſpectationi:* Sicut alibi, quæſtioni alicui eſſe, id eſt, domo abeſſe, ut alibi te quærere oporteat, ſi qui te conventum cupiat. Ciſtellar. act. 2. ſc. ult.

Vir tuus ſi veniet, jube domi operirier,
Ne in quæſtione mihi ſit, ſi quid eum velim.

Camerarianus: *Ne quæſtionem.* Langiani verò libri: *Ne quæſtione.* ſimiliter corrigendum puto: *Ne quæſtioni.* Sic Captiv. Sc. Jam ego revortar. diſertim in Langianis ſcriptum eſt:

Edepol tibi ne quæſtioni eſſemus, cautum intellego.

Jam inde à principio epiſtulæ huic veniam præ-

fatus ſum: quo confidentius leviculum hoc adpingo. Scenâ nimirum ultimâ cum Camerarianis legendum: *Verberone etiam antequam amittis?* ubi volgò, *mittis*. Suum hoc ſibi quodammodo Plautus habet, ut amittere pro à ſe dimittere uſurpet. Moſtel. *Habeo Neptune magnam gratiam tibi, Quom me amiſiſti vix à te vivom modo.* Terent. Phorm. act. 3. ſcen. 2. *Nam neque quo pacto à me amittam, neque ut retineam ſcio.* Et Heauton. act. 3. ſc. 1. *prius Pecuniam omnem, quàm abs te amittas filium.* Ubi Donatus: Amittas pro dimittas dixit. nam quod nos dicimus dimittere, antiqui etiam dicebant amittere. Ut Virgil. Quisquis es amiſſos hinc jam obliviſcere Grajos.

EPISTULA XVI.

ELIÆ THALWENCELIO SILESIO.

ABſit vero, eruditiſſime juvenum, ut te heic indictum ſinam, quem vel de Gruteri noſtri commendatione, vel eruditione tua & moribus honeſtis amare primùm potui. Quare pro amicitia noſtra, quam ſimul in hanc Academiam adveniſti convictus noſter apud CL. Ritterſhuſium confirmavit, rogatus animum ad pellegendas Apulejanas pauculas lectiones non gravatè attendes. Libro VI. de aſino: cùm Venus Pſychæ pyxidem auream, quî de formoſitate Proſerpinæ aliquid ſibi referat, tradidiſſet; ſubjungit: [Sed haud immaturiùs redito; quia me neceſſe eſt indidem delinitam, theatrum Deorum frequentare.] Legerim potius cum libro ſcripto: *indidem delibutam.* Et verbum heic ſat eſt. Non multò poſt in verbis turris ad Pſychen,

quæ

quæ miſera de præcipitio ſui cogitabat: [Ecquid te, inquit, præcipitio miſella quæris exſtinguere?] Placet manuſcripti lectio: *Etqui.* Sicut Etcur pro Cur. nam *qui* nihil aliud eſt apud Plautum frequenter, quàm Cur. Sic Etquis pro Quis, ut pluribus docet Giphanius Indice Lucretiano. Sequitur in eadem oratione ad Pſychen jam ad inferos viſuram: [Sed non hactenus vacua debebis per illas tenebras incedere, ſed offas polentæ mulſa concretas ambabus geſtare manibus.] Malim cum mſ. *contritas.* Et ſtatim ex eodem v. l. lego: [Continuabis claudum aſinum lignorum gerulum.] Continuare pro continuari, hoc eſt comitari. Sic enim verbum hoc accipi docuit ſatis Stewechius. Sic lib. 1. de aſino: [Inde me commodùm egredientem continuatur Pythias condiſcipulus.] Et libro 2. [Continuare pompam meam.] Sic Symmachus lib. 1. epiſt. 47. Agorio qui de otio ſuo & venationibus gloriatus fuerat, credi non poſſe ſcribit; cum fieri nequeat, ut qui otiosè & in ſilvis vivit, tam elegantes literas perſcribat, quales ab Agorio acceperit: [Niſi fortè, inquit, in ſilvis Apollinem continuaris, ut ille paſtor Heſiodus, quem poëtica lauru Camœnalis familia coronavit.] Continuaris, id eſt, adſecutus, comitatus ſis. Ceterùm locus ille ſic ab acutiſſimo Modio reſtitutus eſt ex his Fuldani libri veſtigiis: *Apollinem continaris.* ubi volgò editum & in Giphaniano ac Bertiniano munuſcripto ſcriptum eſt: *Apolline concionaris.* Similiter quod lib. 4. epiſt. 44. ſcribit de ſebaſtio, quem aliquot numero dies ſecum habuerat: [Idem nunc de otio meo, quæ velis noſſe, narrabit. nam me in ſilvis Laurentibus concinatus eſt rurali inherentem quieti.] In Fuldano libro longè vetuſtiſſimo ſcriptum eſt: *continatus.* unde

unde ſimilis exiſtit correctio: *continuatus*, id eſt, comitatus. Quod autem doctiſſimus Juretus & unus optimè de Symmacho promeritus ſuſpicatur: *connactus es*, intellegi non poſſe arbitror. In Apulejo ſequitur: [Quidam ſupernatans ſenex mortuus putres attollens manus orabit, ut eum intra navigium trahas. nec tu tamen illicita affectare pietate.] Concinniùs meo animo v. l. *afflictare.* Inferius eodem libro: [Sic ecce Pſyche convenit in manum Cupidinis.] Mſ. *Sic Pſyche rite convenit.* Unum ſuperat mendum non tolerandum eodem libro ferè extremo: [Sed ego gnarus, latrones illa ad reliquas commeaſſe prædas, retinebar fortiter.] narrat Apulejus, ut ipſe tum in aſini faciem vorſus à puella, quam vehebat, domum verſus ad parentes viam capeſſere incitatus fuerit, ſed veritus (quod accidit) ne in latronum manus rediret, aliò properaverit. quare omninò corrigendum: *renitebar fortiter*. quod adeò evidens eſt, ut Colvio neglectum meritò mirarer, niſi eumdem ſomnum ſæpius nobis dormitaſſet. *Reniti* uſitatiſſimum Apulejo pro reluctari, contra pugnare, ut: trahere aliquem renitentem.

EPISTULA XVII.

MATTHIÆ KLOKIO JURISCONS.

QUod ſi tam humaniter de alienis emendationibus exiſtimare ſoles, quàm ingenioſè tuas excogitas, planè quod mihi meiſque formidem abs te nihil eſt. Sed in utroque illo genere te præſtare aliquotiens jam apud Giphanium expertus ſum, qui mihi quoque ingenioſas nonnullas

nullas & ſubtiles Criſes tuas ex literis tuis communicavit. quas quotiens cogito, non poſſum non Sueviæ tuæ & toti adeò Germaniæ de excellenti illo tuo ingenio gratulari. Te modò tricæ iſtæ forenſes non nimis ab humanioribus noſtris ſtudiis abducant! permittantque, ut quæ jam tibi in auctorum variorum curioſa lectione notaſti, nobiſcum porrò quamplurimis communices. Nunc tecum quæſo videre velis, ſitne verum quod in veteribus Camerarii & Langii membranis perſcriptum Epidico extrema:

Plaudite & valete, lumbos ſurgite atque extollite.

ſed volgatum: *lumbos porgite atque e.* quod mihi ſanè alienum à Latio videtur. nam quid dicam eſſe, *lumbos porrigere*? Sed ſurgere lumbos pro attollere optima ratione nititur. Surgere enim *κατὰ συγκοπὴν* pro ſurrigere dicitur, ut ſurpere pro ſurripere. Sic Virgil. 4. Æneid. Surrigere aures: *Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſurrigit aures.* Et Livius lib. 7. *Romanus mucrone ſurrecto cum ſcuto ſcutum imum perculiſſet, totoque corpore interior* &c. Sed & ipſe Plautus Prologo Pſeudoli, ſi modò ille Plauti dicendus eſt:

Exporgi meliu'ſt lumbos atque exſurgier.

ubi Exſurgere lumbos dictum accipio, non abſolutè vel imperſonaliter, ſed ſicut iſtic, ſurgere lumbos. Bacchidibus Sc. ult. ſorores Bacchides ſeſe invicem cohortantur ad illiciendos in naſſam ſenes, quarum cum hæc de illius expromta malitia, qua uſus eſſe intellegebat, ſubdubitaret illa hanc ſecuram eſſe jubet:

BA. *Facito ut facias.* SO. *taceas. tu tuum facito, ego quod dixi haud mutabo.*

In Camerariano: *tacitas tu tuum f. malim: Facito ut*

ut taceas. tu tuum facito, ego quod d. h. m. Moſtellar. act. 1. ſc. 3.

> *Vis ne ego te, ac tute me amplectare?*
> DE. *Si tibi cordi eſt facere licet.* ——

Quod Muretus ille multò elegantiſſimus variar. lect. lib. 2. cap. 12. olim admonuit, *Amicum eſſe alicui* idem nonnumquam valere, quod placere, ſic videri alicui, ut illo Horatii loco: *Nec* DIS *amicum eſt, nec mihi, te prius obire.* Et altero Homeri:

> Εἰ μὼ νῦν τῦτο φίλον μακάρεσι θεοῖσι,
> Νοςῆσαι Ὀδυσῆα δαΐφρονα ονδε δόμονδε &c.

non fuit cur ita mirum & à Linguæ latinæ ratione alienum putaret. nam & *Cordi eſſe* idem ſignificat quod carum & amicum eſſe. Sic Terent. Andr. *Aut tibi ſi nuptiæ hæ ſunt cordi.* Ubi interpres: Cordi eſſe idem eſt quod placere, vel gratum eſſe. Cic. ad Attic. Dioniſius nobis cordi eſt. Idem pro Quint. Mihi vita horrida cordi eſt. Item in Orat. Flumen aliis verborum cordi eſt. Nonius Cordi eſt, interpretatur pro animo ſedet: Lucill. Et quod tibi magnopere cordi eſt, mihi vehementer diſplicet. Idem: ſi tibi porrò iſtæc res iccirco eſt cordi, quod rere utilem. Et Plautus Ciſtell. act. 1. ſc.

> —— *ut ut erga me eſt meritus, mihi cordi eſt tamen.*

& deinceps autem, idem quod placere, videri alicui ut ſuperiori Moſtellariæ loco, Et apud Agellium lib. 12. cap. 13. [Cordi, inquam, mihi fuit, priuſquam ad te irem, quærere, explorareque, quonam modo veteres noſtri particula iſta, qua de agitur, uſi ſint.] Act. 2. ſc. 1.

> *Perii.* TR. *habe bonum animum, ego iſtum lepidè medicabor metum.*

PH.

PH. *Nullus ſum.* TR. *taceas, ego, qui iſtac ſedem, meditabor tibi.*

Verſu poſteriore (quod Lambinum & Douſam fugiſſe miror) legendum ſimiliter: *medicabor.* Ego tibi medicinam faciam, ut hunc animi tui æſtum & commotionem ſedem & tranquillem. Omnia allegoricè à medicina. Meditabor, nullum hîc locum habet, ſi quidem jam ante ſecum de modo ſenem ab ædibus abſterrendi meditatus fuerat. Sambucus edidit: *medicabo.* quod hanc lectionem planè confirmat. Eâdem ſcenâ:

Ludos ego hodie vivo præſenti hîc ſeni
Faciam, quod credo mortuo numquam fore.

Non adſentio Gulielmio legenti: *quos credo.* cum omnes libri ſcripti & cuſi ſolidum reclament. Debet quidem ſubintellegi, *Ludos*, ſed illud *Quod* loco movendum non eſt, quæ particula ſæpe idem notat quod *ſicut, cum ſciam*, vel ſimile. Cicer. 13. epiſt. famil. 40. *Si ulla umquam apud te mea commendatio valuit, quod ſcio multas valuiſſe plurimum, hac ut valeat rogo.* Plautus Aulul.

Ubi ſi perierit quippiam, quod te ſcio
Facile abſtinere poſſe, ſi nihil obviam eſt,
Dicant: coci abſtulerunt, comprehendite &c.

EPISTULA XVIII.

MICHAELI VIRDUNGO FRANCO P. L.

JAmdiu factum eſt, quod à poëtarum præſertim Elegiographorum, lectione diſceſſi quo magis vereor, ut tibi, Virdunge noſter, & poëtæ optimo, & in veterum poëtarum libris egregiè verſato,

verſato, quod nunc nuper longo poſt intervallo, neſcio qua ſcæva ad Propertii lectionem delatus, in eodem commentus fui, probare poſſim. Libro 2. elegia: Non ita. legimus:

Turba Menandreæ fuerat nec Thaidos olim
Tanta in qua populus luſit Erichthonius.

Notaveram mihi jam olim ad oram libri mei, tamquam rarum dicendi genus: *Ludere in meretrice aliqua*, putabamque non ſecus explicari poſſe, quàm ſicut Turnebus libro Adverſ. 28. cap. 32. docuit, pueros & feminas, quibus vis illata vel probrum, illudi vel ludificari. qua in re & Ludibria dixerint. Terent. Poſtquam ludificatus eſt virginem. Curtius: Principes feminarum ſtrupra perpeſſæ, corporum ludibria deflebant. Sed jam rem video planè diverſam, nec parum intereſſe, volenti an invito ſtuprum illatum fuerit, niſi potius explicemus per illud Plauti: *Scis illam ætatem tali ludo ludere.* quod mihi non videtur. quare in hoc dubitationum æſtu, ut antiquum obtinerem, nec quoquam à ſolemni & epidemico Criticorum morbo diverſus abirem, ad correctiones confugi, vel interpolationes veriùs, dubitans tamen ſi legendum eſſet:

Tanta in qua populus uſſit Erichthonius.

Urere, pro uri (ut ſexcenta tanta) pro amare. Apulejus 2. de aſin. [Nam & illa urit perpetuum, & tu per ætatem & pulchritudinem capax ejus es.] Uri quidem pro amare tritum eſt. Horat.

Cantamus vacui, ſive quid urimur.

Ovidius uri in aliquo, ſicut Propertius, urere in aliquo, dixit 7. Metam.

——— *quid*

—— quid in hoſpite regia virgo
Ureris, & thalamos alieni concupis orbis?

Sed nihil magis lectionem noſtram firmare mihi videtur, quam Horatius Epod. XI.

Amore, qui me præter omnes expetit
Mollibus in pueris,
Aut in puellis urere.

Nam & iſthic *Urere* abſolutè dictum accipio. Expetit me urere, pro, volt ut ego uram. Libro tertio elegiâ nonâ præcipit puellæ ſuæ, cujus natalis advenerat, ut ſe ipſa exornare debeat; inter ceteras edictiones & iſta eſt:

Dein qua primùm oculos cœpiſti veſte Properti,
Indue, nec vacuum flore relinque caput.

In priori verſu mihi ſtant meræ tenebræ, & forſan meo more non adſequor, quæ ceteris omnibus parent. nec dubitarem jam, feciſſent viri docti. quod ego ſæpius requiro, ut omnia nimirum loca illuſtraſſent, eaque ingenuè indicaſſent, de quibus ſibi non liquere ſenſerunt: quam rationem in omnibus meis libris olim ſervare decrevi. Puto autem ſatis evidentem fore ſententiam, ſi ſcribamus.

Dein qua primùm oculos cepiſti veſte Properti.

Indue illam veſtem, qua tum induta eras, cum primùm me in tui amorem pelliceres. Qualis illa veſtis fuerit, didici eleg. Heſterna. lib. 2.

Obſtupui; non illa mihi formoſior umquam
Viſa, neque oſtrinâ cum fuit in tunica.

Capere autem, ut ſcis, amatorium eſt. Ut:

Cynthia prima ſuis miſerum me cepit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.

P Item:

Item:

Nec me tam facies, quamvis ſit candida, cepit.

Rurſum:

Nudus & Endymion Phœbi cepiſſe ſororem
Dicitur, & nuda concubuiſſe Dea.

Libro tertio Eleg. Quæritis. de muneribus loquitur:

Hac etiam clauſas expugnant arma pudicas,
Quaque terunt faſtus Icarioti tuos.

Tacet hîc Beroaldos, nec quid ſit terere faſtum explicat. Vellem docuiſſet nos Scaliger. Acutiſſimus Gruterus noſter legit ſuſpicionum libro 7. cap. 11. *Conque terunt.* & argutè interpretatur. Sed mihi, cui ab amico capite ſeorſum ſentire nulla eſt religio, malim mutata literula: *Quaque gerunt faſtus.* q. d. dona pudicas puellas expugnant, etiam eas quæ Penelopes conſtantiam & offirmatum animum gerunt. De quo quid tu exiſtimes, coram intellegere ſtudeo.

EPISTULA XIX.

CHRISTOPHORO PFLUGIO

ſuo, in Euteren. E Q. Miſno.

IDem mihi quodammodo uſu venit, caput cariſſimum, quod cochleas & Pelorides familiaris tuus Plautus factitare dicit. ut nimirum quotienscumque nihil eis de cœlo roris illiquitur, ſuo ſibi ſucco vivant. Jamdiu enim novas & ſubtiles emendationes tuas anxie exſpectans, meas interim nugas plenas ruris & inficetiarum mecum ruminare coactus ſum. quibus tamen pulchrè me

me curatum arbitrabor, ſi earum maciem miſeratus mihi ſuccurrere & lautitiarum tuarum ſeriem explicare voles. Sed nova prius audi, atque mirificiſſima. Noſti facilè, quàm in eo inter me & te non diſconveniat, ut faſtidioſe ſcilicet faſtidiam ad rationem, quam vilia quædam capita & verius hominum mendicabula tenent, ut nimirum non theatrales ſed triviales & pluſquam proletarias nugas, quaſque vel pueri norunt, niſi qui nondum ære lavantur, avidè, tamquam ancylia cœlitus lapſa, arreptas glorioſè venditent, iiſque amplos ſæpe libros an centones farcire & ſtudioſorum volgo obtrudere conentur. à quibus ſi nonnumquam eos æſtimari & magnificari contingit (quàm autem quæſo facile & proclive eſt, luſcum in cæcos dominari & ſemidoctum aſellorum gregi imperare?) non equidem hoc iſdem invideo, miror mage, ut ille ait, tantam ab iis confidentiam ſumi potuiſſe, ut etiam iis quoque, qui aliquid ſupra volgum ſapiunt, commin&tum cœnum ſuum & gerras ſiculis inaniores probare ſe poſſe confidant, ea præſertim ex commodatis ſibi libris meis adferentes, quæ vel ego ut ſordida, humilia meque adeò indigna tenebris damnavi perpetuis, vel non omninò reicula ipſe aliquando leviuſculæ mantiſſæ loco ceteris emendationibus meis ſuperaddere conſtitueram. Scis autem Pflugi cariſſime, meum & Muſarum delicium, habere me in bibliothecâ meâ non pauca, quæ interdum famelicis hujus notæ amiculis, me connivente uſui eſſe queant. quæ tantum abeſt ut illis invideam, ut etiam ultro ſæpe offeram, cum certa ſpe, fore ut, quantum tamdem ſtudioſorum adplauſum conſequantur, doctis tamen viris ludibrium debituri ſint. Atque hæc latius

 heic

heic aliquanto perſecutus fui, ut mirum magis ad aures tuas accideret, quod nunc molior negotium. Illos itaque, ſive illam potius famelicam hominum nationem mihi jam imitari ludibo eſt, & exuto Cenſoris ſive Critici ſupercilio, Collectorem agere ſive Centones farcire decrevi; aliquanto tamen, ut ſpero, felicius. Perquam tritum in volgus & modo non proletarium eſt, ſolitos ſæpe veteres accuſandi caſum pro nominativo ponere. quale illud Terent. Heauton. *Illum ut vivat optant*, pro, ille ut vivat. & quod Briſſonius libro Parergωn ſingulari ex l. 8. D. de liber. leg. adducit. Non ſolum noſtrum debitorem, ſed & heredis noſtri, ut liberetur, legare poſſumus. Sic rurſum Terent. *Si quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis.* Salluſt. Omnis homines qui ſeſe ſtudent præſtare ceteris animalibus, ſumma ope niti decet. Lucret. Quippe etenim quam multa tibi me fingere poſſum. Plautus Aſinar. ſc. 1. Atque ego id facere me ſtudeo. Ibid. Quid velis modo, id velim me ſcire. Et ſc. 3. Volt placere ſeſe amicæ. Idem Aulul. Ego vocem hîc modo me audire viſus ſum. Et Menæch. quod filia ſic Repentè expetit, ad ſeſe, me ut irem. Moſtellar. ſc. 7. verſ. 99. Illud volo mihi dici, id ſcire me expeto. Milite glorioſ. Nam quos videre exoptabam me maxime. Trinum. ſc. 4. verſ. 43. Res quædam eſt; quam ego volo me abs te Exorare. Epidic. act. 1. ſc. 2. Operam Epidici nunc me emere pretio pretioſo velim. Caſin. ſc. 1. Quod te poſtules guſtare quicquam. Ibid. Ne tu te mihi reſpondere poſtules. Capteiv. act. 4. ſc. 2. Faciam ut te cupias facere ſumtum. Sic lego Aſin. act. 1. ſc. 3.

Nunc quia nihil habes, maledictis te eam ductare poſtulas.

nam editur ibi : *tu eam.* Gulielm. malebat : *meam.* Et Trinum. Scen. Minus quindecim. verſ. III.

Noſtramne nutricem, here, quæ nos educat
Abalienare à nobis? cave ſis feceris.

In duobus Camerarianis mſſ. *Noſtram ne elevis nutricem.* unde ego divinavi : *noſtram ne te vis nutr.* Similiter Pſeudol. act. 1. ſc. 2. verſ. 34.

Magnifice volo enim ſummos viros accipere, ut mihi rem eſſe reantur.

Scribo cum utroque mſ. cod. *volo me ſumm.* Sic & eadem Pſeudol. ſc. 1.

Sed quid de drachma facere vis? CA. *reſtim volo*
Mihi emere. SI. *quamobrem?* CA. *qui me faciam penſilem.*

Etſi alibi Latinitatem phraſis illius, *quid de hac re fiet vel factum eſt*, ſatis contra diverſum ſentientes adſerui, diſſimulare tamen nolui, me olim, cum & mihi nondum Latina ſatis videretur, ſuper hoc loco ſuſpicatum legendum : *Quid te drachma facere vis?* Sic Caſin. ſc. 3. lego :

Quin mihi ancillulam ingratis poſtulat, quæ mea eſt,
Quæ meo educata ſumtu ſiet, villico ſuo ſe dare.

ita namque in Camerarii membranis conſpicitur, pro quo editur : *ed. ſumtu eſt, villico ſuo dare.* Sic lego Amphitr. act. 3. ſc. 2.

—— *ſi quid dictum eſt per jocum,*
Non equum eſt id te ſerio prævortier.
AL. *Ego illum ſcio quam doluerit cordi meo.*

nam ita in Camerarii libro perſcriptum fuerat, & ad *jocum* referri debet. volgò : *Ego illud ſcio.* Sic Pœnulo ſc. 2. lego ex 1. mſ.

Turba eſt nunc apud aram, an te ibi vis inter iſtas verſarier?

Volgò τὸ TE omittitur. Sic poteram ſanè addere plura & adderem etiam, niſi jam Conlectoris ſive Conſarcinatoris munus probe me functum exiſtimarem. Vale Equitum decus.

EPISTULA XX.

MELIORI GULDINASTO HELVETIO.

VAlde mihi in te injurius videar, amiciſſime Guldinaſte, ſi tibi, qui omnia mea amare & cupidè legere conſueviſti, non etiam partem multarum emendationum in his epiſtulis velim inſcribere. quare jam verba hæc Apuleji I. de aſino attendes. [Sed tibi dejerabo Solem iſtum videntem DEUM me vera comperta memorare.] Ibi meo animo longè venuſtius legatur: *verò comperta.* Verò, adverbium aliàs ferè adfirmantis pro uſitato illo & in volgus ſatis noto, Etiam, Ita. Exempla apud Ciceronem paſſim obvia ſunt. Memini quoque me aliquoties in veteribus libris comperiſſe *verò* pro volgato *verè*. Sicut alias certò pro certo. Sed nunc exempla mihi non ſuccurrunt, niſi apud Plaut. Captiv. act. 3. ſc. pen. *Imò iſte eum ſeſe ait, qui non eſt, eſſe: & qui verò eſt, negat.* Aſin. act. 3. ſc. 2. *Tua quoque malefacta iterare multa & vero poſſunt.* & Moſtellar. act. I. ſc. 3. *Eho mavis vituperari falſo, quam vero extolli.* Ibidèm paucis ſane interpoſitis volgatur hodie: [Ergo iterum inefficaci celeritate fatigatus, commodùm veſpera oriente ad balneas proceſſuram.] Sed cor-

corrigo jubente volente manuſcripto : *admodum veſpera oriente.* Admodum pro ferè, circiter, quo neſcio an quid frequentius Livio, ut lib. 22. *Sex millia hoſtium cæſa, quinque admodum Romanorum.* Et lib. 33. *Equeſtris pugna nulla admodum fuit, quia ſimul inclinatam mediam aciem Numidæ Maurique viderunt, extemplo fuga effuſa nudacornua deſeruere.* Ibidem de miſero illo Socrate tamquam mendico adſidente : [Qualia ſolent fortunæ deterrima ſtipes in triviis erogare.] Colvio nimis placet Lipſiana lectio : *decermina.* cui non repugno. videndum tantum moneo, ſervari nequeat manuſcripti lectio, *determina.* Puto enim veteres dixiſſe *Termen* & *termentum.* ſicut, momen, numen, augmen & his ſimilia. Termentum porrò & Detrimentum idem valent, deducunturque à terendo, teſte Varrone lib. 4. de ling. lat. *Detrimentum*, inquit, *à detritu, quod ea quæ trita minoris pretii.* Porrò *Erogare* heic dixit, rogando extorquere. ut infra libro 7. [Nec manum validam erogandæ ſtipi porrigeret.] Sic Plaut. Capt. *interibi ego ex hac ſtatua verberea volo Erogitare, meo minore quid ſit factum filio.*

EPISTULA XXI.

HENRICO SALMUTHO

Feudorum Elector. Palat. Præfecto.

ECce tibi, Vir doctiſſime, nonnullas in Plauto lectiones, quas diebus ſuperioribus amicis quibuſdam, quibus privata opera Plauti fabulas interpretari ſoleo, propoſui. Eas ſi bene te novi mei honoris gratia (ceu Plautus fabulari ſolet) judicio tuo ſubactiſſimo exigere mihique deinde ſenſum ſuper illis tuum candide

communicare voles. Ad hunc Moſtellariæ verſum act. 1. ſc. 2.

Simul gnarures vos volo eſſe hanc rem mecum.

admonui more ſuo Plautum *Gnarures hanc rem* dixiſſe, cum ſecundum artem potius Gnarures hujus rei dicere debuiſſet. Et obſervavi hoc in Plauto plurimis locis, ut nominibus verbalibus (ut Grammaticè loquar) eum adjungat caſum, cum quo ipſum verbum conjungi ſolet. Ut Caſin. *Quid tibi hunc tactio eſt?* pro hujus tactio, cum tangere accuſandi caſui jungatur. ad quam faciem quamvis multa exempla, ſi tanti eſſent, coacervari poſſent. Tale illud quoque Amphitr. ſc. 1.

Opulento homini hoc magis ſervitus dura eſt.

Servitus homini opulento, pro, quæ ſervitur apud hominem opulentum; dicimus enim, Servire alicui. Sic Milite act. 3. ſc. 1. verſ. 206.

Qui niſi adulterio ſtudioſus rei nulla alia eſt improbus.

Sicut ſtudere alicui. Sic Rudente act. 2. ſc. 3. ubi editur:

Enavi timida amba in ſcapham inſiluimus, quia vidimus
Ad ſaxa navem ferrier, properans exſolvi reſtim.

cum in utroque Camerarii codice ſcriptum comperiſſem: *Navis timida*, non dubitavi reſcribere: *Navi timidæ.* quia dicimus timere & formidare alicui, pro quo ſoliciti ſumus. Cum itaque mulieres illæ navi, qua vehebantur, timerent, ne ſcilicet ad ſaxa allideretur, in ſcapham inſiluerunt, eamque reſti, quâ navi adligata fuerat, exſolutâ liberam fecerunt. Sic Apulejus de aſin. lib. 7. ex mſ.

corri-

corrigendus: [Equinis armentis namque me congregem paſtor egregius, mandatis dominicis ſerius auſcultator, aliquando permiſcuit. Ac ego tamdem liber aſinus lætus &c.] qui locus volgò triplici mendo laborat. Ceterum judicabis, verene iſtic fecerim. Nunc ad Moſtellariam redeo. Eâdem ſcenâ extremâ quam amoris opera corruptus ex optimo fuerit ipſe adoleſcens Philolaches declarat, ſe cum ædibus indiligenter habitis comparare pergens. Inter cetera hæc ſunt:

—— ego ſum inuſu
Factus nimio nequior. atque edepol ita
Hac tigna humide putrent: non videor mihi
Sarcire poſſe ades meas, quin tota Perpetua ruant. ——

Verſu ſecundo non quidem aliter in duobus membranaceis codicibus ſcriptum fuit, ſed tamen non inſuperhabendum ad oram alterius libri adnotatum fuiſſe pro ***edepol ita*** alios legere, ***adis polita***. Sine dubio enim ſcriptum fuit antiquitus: ***atque adis polita Hac tigna***, id eſt, hujus ædis (hoc eſt, mei) quæ probè primùm facta & expolita fuerat: ſicut initio hujus ſcenæ dixit: ***Ædes cum ſunt parata, expolita.*** Scenâ ſequenti, omnes Philematio puellæ Scapha anicula fabricas admovet, quibus ei ne unum amet Philolachem perſuadet. Inter cetera cum hoc ei inculcaſſet, fore ut provectiori ætate & flore jam exoleto minus amatori ſuo placitura eſſet, ſuum denique ipſius exemplum adducit his verbis:

Poſtremo, ſi dictis nequis perdûci, ut vera hac credas,
Mea dicta ex factis noſce: rem vide, qua ſim, & qua
fui ante.

Sed verſu poſteriori inclinat animus reſcribillare: ***hem vide, qua ſim. at qua fui ante?*** demonſtrat anus

 puellæ

puellæ canum caput ſuum. Vide ut nunc cana ſim anicula, quæ olim quaſi tu formoſa eram. *At*, pro, *Et* reſcribſi; nam hoc magis ad exprimendum vetulæ adfectum. Sed ibidem neſcio ſatis quid ſit *Exſpectare* in verbis aniculæ, quibus ſuadet ne puella ſoli ſe Philolachi parare, & illi ſoli amatori morem gerere velit:

Ecaſtor erras, quæ quidem illum exſpectes unum, atque illi
Morem præcipuè ſic geras, atque alios aſperneris.

Fallor, an & Exſpectandi verbum de nuptis ac prætextatis eſt, quo res ſubturpicula ac parum ſevera denotatur. Sane *Veniendi* verbo, ut nequam & Venerio, utuntur Latini: indeque (ſi vera eſt originatio mea) Venus dicta, quamvis Grammatici reclament. Exſpectamus autem eum, qui venturus eſt. Propert. lib. 2. Eleg. Non ita:

—— Contendite amantes:
Sic hodie veniet, ſi qua negavit heri.

Idem ad Cynthiam amores ſuos:

Aut ſi es dura, nega: ſin es non dura venito:
Quid juvat in nullo pondere verba loqui?
Hic unus dolor eſt ex omnibus acer amanti,
Speranti ſubito ſi qua venire negat.

Ad eamdem:

Mi formoſa ſatis ſi modo ſæpe venis,

id eſt:

Si tui copiam crebro facies.

Idem:

Exſpectans ſolum ſola puella virum.

EPISTULA XXII.

PAULLO MELISSO FR. V. C L.

NOn ego neſcio, Meliſſe, quam uber ſit hodie poëtarum proventus, ut nimirum ad exemplum Plauti dicere mihi liceat: *Plus eſt ferè, quam olim muſcarum cum caletur maximè.* Simul enim quis eteoſtichon, vel (quod unum hodie coronas meretur) anagrammatiſmum aliquem conſarcinavit, in Parnaſſo repentè ſomniaſſe gloriatur, & nauſeabundus faſtidiique plenus cum lauru ſua prodire audet. de quibus nihil aliud heic dicere habeo, niſi quod Muretus cum malorum poëtarum perpetuam notam eſſe ſcriberet, vel multos verſus, vel ex tempore ſcribere, hanc maxime propriam omiſerit. Anagramma enim, uno & altero excepto, quos ingenii facilitas excuſare poteſt, meo quidem judicio, nemo umquam ſanus ſcribſit. In talium itaque peſſimorum poëtarum proventu, quas tibi Meliſſe gratias habebunt, qui Muſis tuis cottidie ſe recreari ſentiunt? De me; nihil, cum diu multumque cogitaſſem, invenire potui qui tibi à me gratum proficiſci poſſet, niſi variantes has in Diomedem lectiones. Eas correctiones libens appellabo, ubi prius certi quid de iis tuo judicio conſtitutum videro. Edunt itaque: [Scaurus de vita ſua tertio. Poteratur enim ſicut poſſitur dictitat. Ex eodem etiam potis dicebant. Item potis eſt pro poteſt. Ut apud Ennium: Qui potis ingentes cauſas evolvere belli. Et Virgil. At non Evandrum potis eſt vis ulla tenere. Nec non pote pro potis crebrò dicere reperimus. Nam ut proximo exemplo utar,

utar, Perſius ait: Qui potè? vis dicam? nugaris &c.] Meliuſcule habebit locus hic ſi cum v. l. legas: [S. d. v. ſ. t. Poteratur etiam ſicut p. d. Ex e. e. potiſſit. d. I. p. e. p. p. u. a. t. Quis potis ingentes ora revolvere (recte emendant, oras evolvere) belli. Et v. A. n. t. p. c. v. u. t. N. n. pote poteſt crebro &c.] Sine dubio ſub finem legendum: *pote pro poteſt.* quod & Modius viderat. Sed addo locum proximè ſubſequentem: [Apud veteres reperimus id quod non vultis noltis: ut eſt apud Lucilium. Vultis empta eſt. Noltis non empta eſt.] Qui paullò aliter in mſ. cod. ſic conſpicitur: [A. v. reperimus id quod nolumus non vultis, ut eſt in Etheriore apud Lucilium activum. Vultis emta Noltis non emta eſt.] Et poſteriora quidem ſcripta illius lectionis probat Modius, ſecus priora. Sed quod inibi volgatur: [Didymus ait de Salluſt. Comeſta patrimonia. Valgius autem comeſa patina.] Dixi jam ante, nolle me in his fragmentis concinnandis multum operæ ponere. quare veterem tantum lectionem propono talem: [Didius ait d. S. C. p. Valgius autem de Tralatione C. p.] Sed nolo Epiſtulæ huic Plaudere ſuum dicere, niſi unum etiam addidero, pro volgata nimirum lectione hac quæ haud ita multò poſt ſequitur: [Apud veteres plurali numero hujus verbi comperitur, quod novimus dicunt. Ita Ennius: In luſtris nos quieſcere æquum eſt, novimus ambo Ulyſſem.] ſic ſcribendum volentibus ſchedis: [A. v. plurale hujus verbi inſtans Colligitur, cum nomus dicunt pro eo quod eſt novimus. Ita ut Ennius: In luſtris n. q. æ. e. nomus ambo Ulyſſem.]

CASPA-

CASPARIS SCHIOPPI, FRANCI, SUSPECTARUM LECTIONUM LIBER QUINCTUS.

EPISTULA I.

Inluſtriſſimo viro

JOSEPHO SCALIGERO,

Divi Jul. Cæſaris F.

VEniam mihi dabis, Vir incomparabilis, quod non ſatis habens jam ſemel te meis juvenilibus nugis ſtudiis longè gravioribus occupatiſſimum interpellaſſe, eo etiam audaciæ proceſſerim, ut reliquarum in Menæchmos emendationum vel variarum veriùs lectionum reliquias divino ingenio tuo penſandas & arbitrandas offeram. Imputabis nonnihil, ſi quid heic aliquantò, quàm oportuit, ſequius à me commiſſum eſt, excellenti illi humanitati, quam in te Raphelengius filius, aliique ex ſummo ſtudio mihi prædicarunt, & de qua vel tacentibus omnibus unæ illæ literæ tuæ ad Kotter■ium olim noſtrum perſcriptæ, mihique in theſauri loco caræ, ſatis teſtari queant. Eas ego quò ſæpiùs relego, eò faciliùs me impetraturum confidò, ut mihi, qui in felicitatis

tatis parte putavero, ſi meis libellis tanti herois manibus tractari contingat, iteratæ jam compellationis gratiam facias. Qua ſpe nunc fretus alacrior ad explicandas merces meas accedo, tali præſertim emtore invitato. Act. 4. ſc. 3.

—— video quam rem agis,
Quia commiſi, ut me defrudes, ad eam rem adfectas viam.

Ad quæ ſic commentatur Lambinus veſter: Quia mea ſtultitia & nimia credulitate factum eſt, ut me defraudare poſſis, me defraudare cogitas &c. Quam interpretationem non ego falſi damnare auſim, niſi quod concinniorem futuram puto, ſi legamus:

Quia conniſi; ut me d. ad e. r. a. viam.

q. d. quia me vides connivere ad facta tua, me defrudare cogitas. *Conniſi* autem ſcriptum ἀρχαϊκῶς pro connixi, quod eſt præteritum à Conniveo, teſte Priſciano lib. 9. cujus hæc verba: [Conniveo, quod etiam Connivo ſecundum tertiam protulerunt veteres, præteritum tam in, vi, quàm in, xi, habuit. Nimius Caſſius in 23. Iliad. Nam non connivi oculos ego deinde ſopore. Turpilius verò in Paraterusa: Dum ego connixi ſomno; hic ſibi proſpexit vigilans virginem.] Sed nolim diſſimulare perperam volgò iſtic dici *Nimium Caſſium*, quem in aliis manuſcriptis *Nunnium*, in aliis *Ninnium Craſſum* vocari video, cujuſque adeò verſiculum hunc inter veterum poëtarum fragmenta relatum oportuit, ſi qui eam curam promittunt, officio & fidei ſuæ conſulere ſe voluiſſent. Act. 5. ſc. 2.

Imperium tuum demutat atque edictum Apollinis.

Scri-

Scriptum in utroque Camerarii codice: *atque dictum*. Veriſſime. Dicta enim pro juſſis, docuiſti me olim ad Varronem: qui Dictatorem ait eum, qui à conſule dicebatur, cui dicto audientes omnes eſſent. Scenâ ſequenti, cum diu multumque ſenex de medici tarditate queſtus fuiſſet, ſic tamdem ſubjungit:

Atque eccum incedit; movet formicinum gradum.

Scribo, niſi tibi aliter videbitur: *move formicinum gradum*. Ut ſic inclamet medicum & ad accelerandum hortetur: ſic certè & libris ſcriptis & legi Pedariæ ſatis fecerimus. Jam verò in ea, quæ una ſcena interjecta ſequitur, non dubitabis perperam adhuc ſcriptum fuiſſe:

Perdormiſcin uſque ad lucem? ME. *facilen' tu dormis curans?*
Perdormiſco, ſi reſolvi argentum cui debeo.

& explicatum: *Curans*, id eſt, cum aliqua cura urgeris. In membranis fuit: *cuvans*, id eſt, cubans. Totum autem priorem verſum medici verba eſſe exiſtimo. Statim poſt:

Egomet hæc te vidi facere, egomet ecce te arguo.

Malim: *hacce te arguo.* Ibidem loquitur ſólus Menæchmus:

Quid illuc eſt, quod me hic homines inſanire prædicant?
Neque ego inſanio, neque ego pugnas, neque lites cœpio.

Sed verſus inſerendus medius eſt, quem in Camerariano libro legimus:

Nam equidem poſtquam gnatus ſum, numquam ægrotavi unum diem.

Sc.

Sc. Spectamen.

Servi qui culpa carent, & metuunt, ii
Solent eſſe heris utibiles ——

Meo quidem animo commodius in membranis ſcriptum eſt: *Servi qui, cum culpa carent, metuunt.* Sequenti ſcenâ:

Edepol here, ne tibi ſuppetias tempore adveni modo.
ME. *Et tibi di ſemper, adoleſcens, quiſquis es, faciant bene.*

Certiſſima eſt correctio: *At tibi.* nam hac in bene ſecusve imprecando particula Latini utuntur. Pomponius: *At te Dii omnes cum conſilio, calve, mactaſſint malè.* Sic ibi invito, ut apparet, Nonio legere malim. Levia ſunt, fateor, nec digna de quibus ad te eruditorum dictatorem perpetuum referatur: mihi tamen grandia videbuntur, ſi tuum quoquomodo punctum auferre valebunt.

EPISTULA II.

BONAVENTURÆ VULCANIO.

Satis equidem mirari, immò ſtomachari nequeo, tam multa nobis apud Grammaticos, præſertim vero Diomedem, adeò miserè depravata & truncata hodie proponi, quæ ſat ſcio redivivus forte ab inferis ille Grammaticus pro ſuis non adgnoſceret, ſolorum fere admutilatorum opera, quibus nos more noſtro & hoc & aliis capitibus obviam ire volumus, quantum quidem præeuntibus nobis facem membranis conſequi hauerimus, nam non tam demens ego, ut in illis Auctorum ab eo laudatorum rutis cæſis inſtaurandis vel coagmentandis me torquere & bonum otium

otium in vanum conterere velim. Eum itaque loquentem tamdem audiamus : [Item, inquit, quod nos ſuſpicatur veteres hoſpicatur dixerunt. Claudius Octavo Hiſtoriarum hoſpicatur ait : Item quod volgo obſopio dicimus veteres obſopo dixerunt. Cæcilius : Mulierculam ego illam huic deſpondebo, ex nato ſaltem obſopam. Oleo, oles, apud veteres olunt. Plaut. in Cornicul. olunt ædes Arabicas, perinde quaſi oleo olis ſit dicendum.] Atqui ita aliquamdiu loqui didicit : ſed olim aliter, ſi membranis credimus, quarum fide reſcribo : [Item q. n. ſ. veteres oſpicatur d. C. O. hiſtoriarum : Flacco oſpicatur. Item quod volgo obſepio d. veteres obſipio d. Cæcilius Im hymnita habes Miletidam ego illam huic deſpondebo, & ex nato tum obſipiam. Oleo o. a. v. olant. P. in C. Facere olant ædes Arabicæ. perinde quaſi olo, olis ſit dicendum.] Modius conicit legendum : *Facilè olunt*. Sed putabam ego : *Facite olant*. De ceteris arbitrentur acutiores, & tu in illis Vulcani. Meæ enim ætatis vel ingenii non eſt de conclamatis illis in lucem (immò vitam, ne quid mentiar : nam lucis ſanè uſuram jam à me accipiunt.) revocandis ſatagere. Quare illis miſſis quæ reſtant conſiderabimus. Sequitur : [Hoc ita eſſe affirmat Caſſius in ſecundo hiſtoriarum Paſtorum volgus ſine contentione conſentiendo, præfecerant æqualiter imperio Remum & Romulum, ita ut de regno pares inter ſe eſſent. Monſtrum fit, ſus parit porcos triginta, cui rei fecerunt Lares Grundiles. Item vulgo dicimus ampector. Veteres mutaverunt amplecto crebro dictitantes, ut Livius in Odyſſea. Utrum genua amplectens dixit, & alibi amplectens pro amplexans.] Horum nullam emendationem profiteor, niſi quod viros eruditos, tui ſimiles, ſcriptam lectionem paullò

Q dili-

diligentiùs conſiderare velim, quæ eſt hujuſmodi: [Hoc ita hoc modo affirmat. Caſſius Hemina in ſ. hiſt. P. v. ſ. c. c. præfecerunt æ. i. R. e. R. i. u. d. n. parent inter ſe. Monſtrum f. ſ. p. p. triginta, cujus rei fanum fecerunt Laribus Grundilibus. Item v. d. a. veteres immutaverunt a. c. d. v. l. in O. V. genua amplectens virginem oraret. In hoc quidem totum figuravit verbum amplectens dixit pro ampletens (*fortè amplexens*) & amplexens pro amplexans.] Unicum etiam idque leviculum addam. Ubi de verbo Quitur: Cæcilius præterea: ſi non ſarcire quitur. Reponendum ex v. l. *ſarciri.* videor enim mihi obſervaſſe, Quitur & poteſtur numquam cum infinitivo activo jungi, ſicut & exempla ibidem allata confirmant.

Epistula III.

JUSTO LIPSIO V. CL.

MUltum ego, ut opinor, vel de virtutibus tuis, Juſte Lipſi, vel ſtudiorum noſtrorum libertate detraherem, ſi, quod alii faciunt, multis & magnificis dictis modeſtè & leviter à te diſſentiendi veniam mihi petam. Per mihi placuit quod tu talis vir in nupero tuo de Cruce libello ipſe tibi inculcas: *neminem eſſe tam felicem, qui non ſubjectus ſit errori, & hoc non dementis eſſe proprium, verùm hominis. in hoc præſertim ſcribendi genere, in quo alius alio plura invenire poteſt, nemo omnia.* In eam rem & ipſe Plauti verba aliquantum tamen immutata uſurpare ſoleo: *Humanum errare, humanum autem ignoſcere eſt.* Porrò quod libro de Cruce tertio, capite quincto ad firmandam tuam de furca opinionem Plauti locum ex Milite adducis,

cis, ignoſce mihi, adſentiri tibi nequeo. non quo tibi de furca advorſer, ſed quod Plautum ibi minime à te facere exiſtimo. Verba, ut volgo quidem leguntur, hæc ſunt:

Quid adſtas tu, Sceledre? Sc. hanc rem gero, habeo aures, loquere quidvis.
Pa. Credo ego, iſtoc exemplo tibi eſſe eundum actutum extra portam,
Diſpeſſis manibus patibulum cum habebis.

Tu ſtetiſſe eum opinaris manibus ante ſe projectis & leviter diductis, habitu quo ſolent captantes & apprehenſuri. Atqui id verba minimè exprimunt, quæ aliter etiam, ut incerta, explicari poſſe non ignoras. hoc primum; deinde narro tibi locum illum perperam ſcriptum legi, cum ſic potius ex Camerarii membranis legi deberet: *Credo ego iſtuc extemplo tibi.* Ad hoc particulam iſtam, *actutum*, tamquam de gloſſa & explicatione τῦ *Extemplo* ſuſpectam, tum etiam metri cauſſa lubens induxerim. Iſtuc extra portam, δεικτικῶς. qualia apud Plautum tuum multa. Eâdem ſcenâ:

Satin eadem vigilanti expetunt, quæ in ſomnis viſa memoras?

In utroque Joachimi codice: *vigilantis.* ego ex *eadem* poſtrema litera repetita malim: *in vigilantes expetunt.* nobis vigilantibus omnia illa evadunt & eveniunt quæ tu ſomniaveras. Tritum hoc iis, quibus Plautus tritus, Expetere alicui & in aliquem. Actu 2. ſc. ult.

Illic hinc abſceſſit. ſat edepol certò ſcio,
Occiſam ſæpe ſapere plus multò ſuem,
Cum manducatur, ne id quod vidit viderit.

Nam illius oculi atque aures atque opinio
Transfugere ad nos ——

Verba ſunt lepidi illius ſenis de Sceledro ſervo militis, qui herilem concubinam, cui ille cuſtos additus, forte fortuna cum alio oſculantem viderat, ait ſenex illum minus ſapere, quàm ſuem occiſam, cum perſuaderi ſibi patiatur, ne id, quod vidit, viderit. Sed profectò minus lepide & ex ſententiâ hæc mihi verba coherent. Judica Lipſi commodene fecerim, qui ſic legi & interpungi volui:

Occiſam ſapere plus multò ſuem.
Cum inducatur, ne id, quod vidit, viderit.

Rationem cur eum minus quam ſuem ſapere putet, reddit hanc, quod ſe induci & perſuaderi ſibi patiatur fungus ille, ut ne viderit quod vidit. in verbo *Cum*, litera *m* non eliditur. velut ſupra Amphitr. *Cum Alcumena uxore uſuraria*, ubi inſuper Rittershuſius meus legebat: *uxored. uſuraria.* Inducere ſic ſæpe dixit, pro dictis perſuadere. Mercat. *nec pater potis videtur Induci, ut putet matri ancillam emtam eſſe illam.* Scenâ ſequenti, primâ nimirum, act. 3. verſ. 37.

Si albus capillus hic videtur, neutiquam ingenio eſt ſenex.

Mirabar, quid vellet ſibi quod in duobus membranaceis codicibus legitur: *neutiquam ibi ingenio eſt ſenex.* atque id non diu. ſuſpicatus enim fui ex particula, *ibi*, ultimam literam abiciendam, tâmquam quæ hic ex ſequenti dictione adheſerit & legendum: *ab ingenio eſt ſenex.* quæ phraſis, meo quidem animo, ita Plautum decet, ut ferè cum quovis, rectè me hîc correxiſſe, quingenario ſacramento contendere auſim. Sic Truculent. *Sive*

adeo caret temeto, tamen ab ingenio eſt improbus. In eâdem ſcenâ ſequitur verſ. 53. in quo cum ſuam commoditatem inter amicos ſenex Periplectomenes prædicaſſet, ſubicit tamdem:

Poſt Epheſi ſum natus, non in Apulis, non ſum in Umbria.

Sed hunc verſum longè alium nobis adducit vetus Virgilii interpres Philargyrius ad illos Virgilii verſus 2. Georg. de malis medicis:

—— animas & olentia Medi
Ora fovent illo & ſenibus medicantur anhelis.

Olentia, inquit, *& ad animas eſt referendum & ſubaudiendum, male olentia. Sic Plautus in milite glor. Tum in Apulis non ſum natus, non ſum animata.* Ego quidem non credo, ſed ſcio Plautum aliter illum verſum ſcribſiſſe, quàm hodie editur. Ceterum & in eo qui à Philargyrio adducitur mendum eſſe neceſſe eſt. nam ut ita legatur, ſicut ille volt, nec per legem Pedariam licet, nec Periplectomenes hoc leniter feret, ut de ſe tamquam de muliere dixerit; *animata* potius quam animatus. Video quidem Philargyrium velle docere, *animatus* (quod alias in bonam & malam partem capitur. Varro Bimargo: *Avi & atavi noſtri, cum allium ac cape eorum verba olerent, tam optimè animati erant*) à Plauto tamen dictum, pro, male animatus, ſive qui fœtidam habeat animam, ſed ſic malè in verſum totum conſuli id quoque video. Putabam olim pro *animata* legendum *anima macra*. Sicut & Petron. *Spiritus jejunio macer*, id eſt, fœtidus. Sed minime mihi ſatisfacio, quare juva me Lipſi & Bene vale.

Epi-

Epistula IV.

FRANCISCO JUNIO V. N.

De verbo *Quiritare* multi multa ſcribſerunt: & in iis ego nuper in viriſimil. Potuiſſem autem addere locum Diomedis Grammatici, niſi ibi, quod tamen plerique faciunt, centones farcire noluiſſem, Sed ut tamen macula non contemnenda apud eum exigatur, aliquando locum illum è lib. I. proponam: [Solent in verbis etiam peritiores errare, incerti utrum cum x, an ſine debeat proferri. Quirito Li. Varro, & Feneſtella quiritavi. Eſt autem quiritare, quirites ciere.] Primùm autem lego & interpungo: *incerti utrum cum r. an ſine debeat proferri Quirito.* Nam de verbis in x definentibus nec vola hic, nec veſtigium. Sed de Quirito, bello, lacrymo, aſſentio & aliis, quæ ab aliis in or efferebantur. In reliquis deinceps veterem ſcripturam repræſento: Quirito. Livius in activo quirit (*ſed corrigo quiritat*) Varro ad Ciceronem de (*Modius leg. Et.*) Feneſtella quiritatur. Eſt autem quiritari q. c.] Quem locum uno alteroque verbo interjecto excipiunt hæc [Cic. I. ad Fratrem inquit: Aſſentio Lentulo.] Etſi in ſchedis ſcriptis hoc modo concepta: *Cic. epiſtularum ſecunda ad fratrem, Philippus, inquit, aſſentio Lentulo.* Sequitur ibidem in impreſſis exemplaribus: [Pacuvius in Medea: Et cuſtodite hunc vos, ne quis eum abſtulat, neve attigat.] Elegantius tamen veteres membranæ: *ne quis eum attulat, neque attigat.* Attulo, antiquum pro adfero. Sed hæc omnia nugæ tamen maximæ, præ ut quas proximè ſequentia turbellas nobis dabunt.

[Plau-

[Plautus Muſtellaria: Abſcedite telis ne attigant. Item hortatur quod vulgò dicimus, veteres nonnulli horitor. Item in 10. Horitor induperator, quaſi ſpecie iterativa. Plaudo frequens eſt apud veteres plodo, ea conſuetudine, qua au ſyllaba cum o commercium habet.] Quis ille 10. Plauti liber ſit nemo quiſquam exterebrabit. Legendum itaque auctoribus veteribus libris. [P. M. abſcedite, tædis ne attigat. (*legend. adu ne attigatis*) Item h. q u. d. u. nonnulli oritur dixerunt, ut Ennius ſextodecimo Annalium Prandere libet (*Modius leg. jubet.*) horiturque. Idem in 10. Horitur I. q. ſ. i. Plaudor frequens eſt a. v. plodo. Cicero de gloria: Tertia ordine omnis erum vel potius amentem de quo neceſſe erat pejus exiſtimare eos, quod erunt (*Modius, qui oderunt*) quam eos qui non plodere. Item in paradoxis Stoicorum apud entem. (Mod. *corr. euntem.*) exſibilatur exploditur ſine ea conſuetudine quæ au ſyllaba cum o littera commercium habet.] Neque non & hæc ſcriptura ſuas mendas habet: quas tamen ad alia properantes ingenioſioribus exterminandas relinquemus, tibique potiſſimum, Franciſce Juni, eruditorum decus, qui præclaris tuis ſcriptis, quamvis pauculis, quid in tenebris vererum illuminandis & maculis eluendis poſſes, ſatis jam ſuperque doctorum circulo declaraſti.

EPISTULA V.

GEORGIO QUECCIO.

ORdiri à querela epiſtulam ſi velim, poſſim. Tot enim jam menſes eſt, cum in tuis ædibus vivo, ac tu interea ne ſemel iterumque ad me in muſæum meum viſere auſus es. itane verò decet, Quecci amiciſſime? quid amicos ceteros facere par erit, D. Rittershuſium adfinem tuum, Hubnerum, Kuchelium, alios? nê mihi periculum eſt, ſi illis de facto tuo conſtet, ut quiſquam poſteriùs ad me proviſere velint, verentes ſcilicet occupationum mearum, quarum reſpectus te quoque ipſum hoſpitem meum à meis foribus defendat. quod ne aliquâ ad illos permanet, cautio eſt. Interim hac epiſtula mea denuo te ſolicitatum habere volo, ut deinceps, quàm ante, crebrius & ſpiſſius me convenias, me colloquaris, etquid valeam, etquid in Plauto, Apulejo, Symmacho novi repererim. longè enim tu, quam alii, aliarum Academiarum profeſſores philoſophi, avidius illa quæ ad utriuſque linguæ cultum & ornatum pertinent, conſectari ſoles & meas eſſe aliquid putare nugas. quare in veſperam judicium tuum de correctiunculis hiſce exſpectabo. Rudente act. 2. ſc. 4. verſus eſt, qui multum Criticos noſtros exercitos habuit. Colloquuntur invicem ancilla Ampeliſca ſacerdotis Veneriæ nomine aquam petens & ſervus Dæmonis Sceparnio:

AM. *Ad vos venio.* SCE. *accipiam hoſpitio ſi nox venis,*
Item ut adfectam. nam nunc nihil eſt, qui te inanem.

Lambinus etiam hunc locum præclarè è ſuis libris reſti-

reſtitutum reſartumque gloriatur ediditque: *qui te mane mulierem.* Sed non novum nec mirum facit, quod libros abſentes teſtes laudat. hæc enim hodie diſciplina eſt eorum, qui ſe Criticos appellari volunt, ut commentitiis libris aliis imponant. Ego quid in Camerarii libris ſit, non diſſimulabo. Scriptum itaque fuit: *qui te manem.* nihil diſcrepant à volgatis, niſi qnod pro, *in*, fecerunt, *m*, Douza Lambinianis verbis acceptorem ſe faciens, itaque ut ipſus autumavit, in libris veteribus perſcriptum credens conjecit: *qui te manè munerem.* Palmerius acutiſſimus: *qui te muniam*, id eſt, quo munere te donem. quæ tamen omnia metri leges abhorrent. Conjeci olim: *qui te juvem*; quam poſtea conjecturam non magnæ ſanè rei apud Lud. Carrionem reperi, qui & priore verſu *Nox* reſtituit ubi *Mox* editum fuit. quod alii poſtea ſibi adſcribſerunt. Ceterum vel neminem vel Saligerum eum locum perſanaturum puto. nam non verum puto, quod alias cogitavi: *qui te induem*: Etſi miminum à recepta lectione recedat. *d* pro *a* poſui, ut ſæpe peccatum comperi, ſic apud Symmachum *quia quid* pro quidquid ſcriptum fuerat. Et *u* pro *n.* de quo verbum non addo. Diceret itaque ſervus: ſi noctu veneris, ita te accipiam, ut ægroti ſive adfecti ſolent (operimentis nimirum tegi & ſic velut indui) cum jam quî te tegam & induam nihil ſit. nec à re præſenti abhorret, ſi de induendo eum quicquam dixiſſe putaverimus. nam ancilla tota madida erat, ut ex naufragio evaſerat. nam ſic paullo ante à ſacerdote Veneria compellatæ fuerant:

—— ſed unde vos ire cum uvida.
Veſte dicam, obſecro, tam mæſtiter veſtitas?

Et ipſa Palæſtra dixerat:

Siccine hic cum uvida veſte graſſabimur?

Similiter paullò pòſt ipſe Charmides nihil niſi locum ubi dormitat & indui ſe aliis veſtimentis poſtquam naufragium fecit petit.

Obſecro hoſpes, da mihi aliquid, ubi condormiſcam, loci,

SC. *Iſtic ubi vis condormiſce, nemo prohibet, publicum eſt.*

CH. *At vides me, ornatus ut ſim veſtimentis uvidis. Recipe me in tectum, da mihi veſtimenti aliquid aridi.*

Ecce naufragus quod hic ſibi fieri poſtulat, id ſupra ſervus ancillæ ultro obtulit. dicit enim ſe illam, tamquam adfectam (niſi potius ex Feſto, *adfectatam* legi debet, hoc eſt, in extremum periculum adductam) veſtibus aridis induere velle, ſi noctu veniat. Ceterum aliquid de re tam incerta adfirmare velle Periculoſæ eſt plenum opus aleæ, cum præſertim Sol literarum Scaliger ad Feſtum promittat novam ſe huic loco lucem facturum. quam utinam ne Plautus diutius cogatur exſpectare. Quod autem ibi addit Sceparnio:

— proh di immortales, Veneris effigia hæc quidem eſt.

haud dubiè ex Græco aliquo deſumtum eſt, quod & Ariſtænetus imitatur:

Ὦ φύσεως τὸ κάλλιστον φιλοτέχνημα, ὦ γυναικῶν εὔκλεια, καὶ δῆτα πάντων ἔμψυχος τῆς Ἀφροδίτης εἰκών.

In verſu ſequitur qui iſtic ſequitur:

Non licet te ſicce placidè bellam bellè tangere?

niſi dilirium Lambini, qui *ſicce* interpretatur, ſobrie, ut homines ſicci & ſobrii ſolent. Hominem acutum! *Sicce* adverbium eſt pro ſic, ut hicce pro hic. & hoc etiam pueri norunt. niſi qui nondum ære lavantur. Ibidem:

Cur

Cur tu aquam gravare amabo, quam hoſtis hoſti commodat?

Gravari dixit pro gravatè dare, ſicut Cicero præcidere alicui pro præciſè negare. Sic Milite:

—— ut quod cupiam, ne gravetur.

Et Epidic.

Jam tunc igitur amota ei erit omnis conſultatio
Nuptiarum, ne gravetur quod velis. ——

Verſu ultimo ejuſdem ſcenæ legendum cum mſſ. *Eugepæ.* quæ gratulantis interjectio eſt.

Epistula VI.

FRANCISCO RAPHELENGIO V. CL.

Faſtidioſa plerumque plus æquo eſt librorum Criticorum lectio, eo potiſſimum, quòd loca, quæ emendanda recipiuntur, apud ipſos ſcriptores non conſideramus. Tu autem, Typographorum nobiliſſime & doctiſſime, niſi me fallit, hæc pauca, quæ ex Diomede tibi repræſento, cum libro tuo comparare non gravaberis, mihique ſuper variantibus varii exemplaris lectionibus ſenſum tuum viciſſim indicabis. Ciceronis itaque verba apud Diomedem de quarundam conjunctionum proprietatibus in editis & ſcriptis libris diverſimodis leguntur. ut: [Cicero: Niſi forte mavis patefacere nobis provincias, quo exire poſſimus, quam curare, ut etiam illi, qui adſunt, abeant, quo victores revertantur.] Sic illa quidem volgò edita: ſed ita in membranis: [Niſi fortè majus eſt p. vobis provincias q. e. p. q. c. ut etiam illi qui abſint, habeant,

habeant, quo v. r.] Eodem libro primo de imperſonali verborum declinatione: [Nævius in Corollario. Hæc demolite tecta. Item auxilio (ſcilicet dicebant) ut Gracchus adverſus Furnium. Quibus ego primum cum auxilio. Populo ait Plautus in Fœneratricio. Quæ ego populabo properè. Digno, ut Pacuvius in Hermione: Cum neque aſpicere æquales dignarent ejus. Me dies deficiet numerantem exempla.] More meo modoque ſchedarum ſcriptam lectionem in ſtudioſorum gratiam adpingam: [Nævius in Corollaria. Hæc demolite inquit. Item auxilio ait Gracchus adverſus Furnium. Q. Ego primus quomodo auxiliem. Populo a. P. in Fœneratrice. Quæ ego populabo prove (*leg. probè*) Digno ait Pac. in Hermiona. C. n. a. æ. dignarent. Citius me dies deficiet enumerantem exempla.]

EPISTULA VII.

MATTHIÆ HUBNERO POMERANO.

EXſpectas fortaſſe, Matthia cariſſime, quid hodie ad menſam D. Rittershuſii noſtri, in qua jam diu ſuaviſſime ſumus, novi ſim adlaturus. nam quamvis tu graviorib. es ſtudiis occupatus & in Jurisprudentia præſertim tua, cujus ſupra quam in homine adoleſcente reperiri poſſit gnarus es, neminem tamen adhuc in Academiis de ſtudioſorum numero videre mihi contigit, qui vel ceterum omnia Philologorum & Philoſophorum ſcripta libentius, vel mea propriè avidius ſæpe legeret. quare ne præter morem meum inanis hodie ad cenam accederem, has in Plauto lectiones conſcribere volui, quas tui judicii lima examinari

à te

à te velim. Optaſti ſæpe mecum pariter, ut quot uſquam in bibliothecis doctorum virorum exſtant nondum in publicum edita veterum Grammaticorum gloſſaria (quod tu ſcis exſtare etiamnum compluria) ea ne diutius bono publico inviderentur. Vides enim facile pro ſinceritate judicii tui, quam multa hactenus ignorata plane vocabula adjuvantibus hominum ingenioſorum ſagacibus conjecturis in civitatem Romanam quaſi poſtliminio reduci poſſint. Et ego quoque etiam cum ſæpe aliàs Gloſſas illas, quas penes Scaligerum, Fornerium, alios eſſe dicunt optare ſoleo, tum numquam majorem illarum videndarum cupidinem quam hodie mihi invaſiſſe ſentio. Cum enim hæc ex argumento Militis glorioſi legerem:

Suum arceſſit herum Athenis atque perforat
Geminis communem clam parietem in ædibus.

& in utroque Camerarii miræ bonitatis libro ſcriptum animadverterem: *atque & forat:* & à Lipſio denique aliiſque viris eruditis didiciſſem, non inſuperhabendam veterum librorum, præſertim qui ſint ſpectatæ fidei, ſcripturam utcumque miram & monſtroſam: ſuſpicari cœpi ſcriptum antiquitus fuiſſe, *atque ecforat* pro efforat, ut ecferre ſemper in iiſdem aliiſque antiquiſſimis libris ſcriptum inveni. Haberemus nunc iſta quæ dixi gloſſaria, aliquid forte de hoc verbo certius pronunciare poſſem. Cur enim veteres non æque *Efforare*, quam inforare, perforare dicere potuerint minimè video. Sed ne jam de verſu ſolicitus eſſe debeas, *atque* triſyllabum erit, ſicut Quis ſæpe διασυλλάβως apud Comicos reperitur. Poſteriori verſu præpoſitionem, *In*, inducendam puto. nam ſine dubio vel à ſciolo, qui verſum ruere putabat, ſi *m* non eliderétur in dictione parietem, adſuta eſt, vel ex litera

litera m præcedentis verbi finali repetita. Quis enim Latinè umquam dixit, Paries communis in duabus ædibus, potius quàm, communis duabus ædibus? mirum profecto nemini cuiquam hac de re quicquam in mentem veniſſe. Eâd. fab. ſcenâ 1.

Perjuriorem hoc homine ſi quis viderit,
Aut gloriarum pleniorem quam illic eſt,
Me ſibi habeto & ego me illi mancupio dabo,
Ne unum Epityrum edam apud illum eſuriens inſane bene.

Verba ſunt Artotrogi Paraſiti Regem ſuum non fictis laudibus ſpectatorum caveæ deſcribentis. Ceterum verſu primo leve eſt, ſed tamen monendum commodius nimirum legi cum libris ſcriptis: *hominem.* Verſus autem poſtremus mirè deformatus in utroque Camerari codice conſpicitur, ſic nimirum:

Epytyr aut apud illa enſurienſa ne bene.

Pflugius meus, juvenis & generis ſplendore (in quo majores reges numerat) & judicii acrimonia nulli hac ætate ſecundus inde fingere ſtudebat:

——dabo Epityro, ut apud illum eſuriem inſane bene.

q. d. mancupio me illi dabo pro unico tantum epityro, ut apud illum minimè lautis & facetis victibus victitans eſuriam. Epityrum non nimis lautum vel pretioſum fuiſſe ſcilicet. at huic ut paraſito nonniſi quæſitiſſimæ dapes, ut apparet, cordi fuerunt. *Eſuriem* pro eſuriam, ut Dicem, Faciem, quod jam ab aliis indicatum eſt. Sequitur eâdem ſcenâ:

—— ubi tu quingentos ſimul

Ni

Ni hebes machæra foret, uno ictu occideres.

Sed Douſam patrem ratio temporis offendit in verbo *Occideres*, neque hercules (inquit idem) umquam deterrebor, quin ſcriptum fuerit à Plauto Occideras ἀντὶ τῶ Occidiſſes, genere loquendi Poëtis perquam familiari. Hæc ille; quæ ſane viro docto & in Plauti lectione verſatiſſimo excidiſſe nollem. Satis enim deterrere illum debuit locus ejuſdem ſcenæ:

—— pol ſi quidem
Connixus eſſes, per corium, per viſcera,
Perque os elefanti brachium transmitteres.

Ecce hîc transmitteres pro transmiſiſſes dixit. Scribſi autem *elefanti*, ductu librorum ſcriptorum: volgo, *elephanto*. Ibidem:

Py. *Itane ajebat tamdem?* Ar. *quæ me ambæ obſecraverint.*
Ut te hodie quaſi pompam illac præterducerem.

Invitus equidem facio ut nimis frivola inculcem, ſed quia tamen viros doctos video cum ſimilia in Plauto emendarent hoc præteriviſſe, mònere non pigrabo, invitis omnibus cuſis & ſcriptis libris legendum hic videri: *Quæ ne ambæ* &c. q. d. de illis ne quæris, quæ ambæ me rogarunt &c. Sic Epidic. act. 5. ſc. 2. verſ. 54. Ap. Ain tu te illius inveniſſe filiam? Ep. inveni & domi eſt. Ap. Quamne hodie per urbem uterque ſumus defeſſi quærere? Curculione ſc. ult. Dum quidem hercle ita judices, ne quiſquam à me argentum auferat. Mil. Quodne promiſiſti? Sic Amph. act. 2. ſcena 2. So. Pauliſper mane, Dum edormiſcat unum ſomnum. Am. quæne vigilans ſomniat. Sed & Milite eâdem ſc. Sic dixerat. Mars haud auſit dicere, Neque æquiperare ſuas virtutes ad tuas.

tuas. Py. Quemne ego ſervavi in campis Gurguſtidoniis. Sic Rudent. act. 3. ſc. 6. verſ. 23. ubi editur : quod ego deliqui? Pl. rogas? Quin arrabonem accepiſti ob mulierem &c. Primus Gulielmius correxit, *Quine arr.* quod & Douſæ patri poſtea in mentem fuiſſe video.

EPISTULA VIII.

GREGORIO BERSMANNO.

Tibi, Bersmanne, & poëtæ optimo & Critico ſagaci meritò quæ de numeris poëticis à Diomede proferuntur, mendosè autem in volgatis hodie codicibus leguntur, conſideranda exiſtimo. Verba ſunt illius Grammatici de Pyrrhichio pede libro tertio ſed valdè mendoſa: [Apud Italos verò etiam Gradivus à bellona & ἄρειος, id eſt, Martis filia quæ ἐνύω dicta: quem à primo pede in unum poëtæ fingunt, quod montium difficilia & collium concitato curſu capræ more ſuperaret, quotiens prædatoria vice graſſaretur.] Curioſius itaque ſcriptam lectionem conſiderare operæ erit pretium, quæ ſane talis eſt: [A. I.• vero gradivus à Gradivo ἄρειος καὶ ἐνυοῦς, id eſt, Martis & bellonæ filio., quem [al. eo primum pede uſum poëtæ fing.] caprino pedem in unum poëtæ fingunt.] Ubi Fr. Modius *in unum* accipit dictum, quaſi ad unum omnes, ſicut Cic. in Lælio loquitur. & Apulejus l. 4. Meta. *Mox ad unum omnes; etiam janitorem ipſum, gladio conficit.* Ubi quod olim mallem, *configit*, cauſſam non video. Non ſane multò pòſt quæ ſequuntur, ubi eorum diverſa lectio à me indicata fuerit, finem epiſtulæ huic facient. Sic itaque Diomedes: [Huic contrarius eſt ſpondæus, qui conſtat ex duabus longis temporum

porum quatuor ut heros, dictus κατὰ τὴν σπονδὴν, quia in templis quædam carmina componebant, ſcilicet ut libantes ſonum vocis abominoſæ audire non poſſent. Arcadiæ princeps venerat, ſors accipitur pro agricolis. Hoc ſucceſſit & hoc divûm ritu cumulos paribus à muſicis thure incenſis altaribus Muſicos choros geminis greſſibus explicare, & æquipedi ſono tibicen Spondalium canere jubebant, ut duabus longis melodiis quaſi duplicibus & jugibus vocibus proſpera deorum voluntas firmaretur. Numam Pompilium divinitate præditum, hunc pedem pontificium appellaſſe memorant, & cum ſalios juniores æquis greſſibus circulantes induceret, Spondeo melo patrios placaſſe indigetes.] His ſane verbis Scaligero aliquo explanatore & conjectore opus ſit: quæ niſi ipſe, vel Sibylla legerit interpretari alium poſſe reor neminem. Quod ut impetrem facilius membranarum lectionem ſubiciam, ſi fortè ex ejus veſtigiis veritas indagari queat. Sic itaque membranæ: [Huic c. e. ſ. q. c. e. d. l. t. q. v. h. d. π. τ. σπ. q. in templis hoc pede quædam c. componebantur ſcilicet ut l. v. a. a. ſ. n. poſſent. Arcadiæ principes venerat, fors accipitur ab agricolis; Hoc ſucceſſu & hoc divino ritu à Muſicis cumulis paribus thure incenſis a. m. c. g. g. explicaret, & æ. ſ. t. ſ. canere juberet, ut d. l. m. quaſi d. & jugibus vocis p. d. u. f. N. P. d. p. h. p. p. a. memorant, cum ſalios i. æ. g. c. inducere ſ. melo p. placaret indigetes.]

EPISTULA IX.

MATTHIÆ KUCHELIO ULMANO.

ITa eſt, Kucheli amiciſſime; me ſuſpectarum lectionum architectum ſuſpicioſum eſſe oportere. quare non fuit, ut cum heſterna veſpera te præterito epiſtulam ad Hubnerum noſtrum direxiſſem, tu inde tibi neſcio quid ſuſpicandum putares, tamquam ille, quàm tu, apud me foret potior. Etſi enim in omnibus meis libris, aliquod mei in amicos ſtudii & amoris monimentum exſtare volo, minimè tamen mihi faciendum putavi, in tuo nomine, qui mihi cottidie in Plauti explicatione operam dare diligentem ſoles, epiſtulas meas nihil niſi Plautinas lectiones in ſe continentes proſcriberem: cum præſertim jam ante Apulejanas ad te miſiſſem emendationes. quapropter ne heri nequiquam tam ſuſpicioſus fueris, hoc eſt, falcem tuam in meam meſſem miſeris, nihil nunc ad te novi adferre volo, ſed iiſdem illis, quas privatim juxta cum aliis ex me audiviſti, emendationibus, tamquam crambe repetita contentum eſſe jubebo. Quod itaque legitur Moſtell. ſcenâ primâ in duorum ſervorum colloquio.

GR. *Quàm confidenter loquitur! va.* TR. *at te Jupiter*
Diique omnes perdant, oboluſti allium.

Dicere me vobis meminiſti, recte ab aliis pro, *va*, correctum, *Phui*: quæ eſt reſpuentis & indignantis ſimul interjectio, ſed & illud factum oportuiſſe, ut Tranionis perſona ante *phui* legeretur. Grumio enim villicus more ruſticorum mane come-

comederat allium. id jam olfecit Tranio. quare odoris fœditatem indignatur, eique tamdem imprecatur. Ibid.

Quia mihi bene eſt & tibi male eſt, digniſſimum eſt.

Longe aliter, quam volgò, illa vobis interpretatus ſum. *Quia* nimirum pro *Quando* poſitum, ſicut viciſſim *Quando* pro quia ut notum. Sic eleganter dixerat Caſina Sc. ſine modo:

Ut quia te tango mel mi videor lingere?

Sequitur ibidem in plurimis editionibus:

O carnificium cribrum quod credo fore.

pro quo alii: *carnificinum.* Sed in recepta lectione nihil mutandum cenſeo, ut dixerit Plautus *carnificium* pro carnificum, ut Salluſt. *hominium* pro hominum, alii, meretricium, civitatium, judicium. quorum ſimilia pluria conlegit ἱμακαρίτης Briſſonius libro Parerg. ſingulari, & decus noſtrum Bongarſius ad Juſtin. Sic legerim Curcul. act. 4. ſc. 2.

Item genus eſt lenonium inter homines, meo quidem animo,
Uti muſcæque, culiceſque, pedeſque puliceſque.

Sic namque in Camerarii membranis viſitur. Eâdem ſcenâ primâ explicatu difficile viſum fuit Lambino quid ſit ſaginam cædere his verbis:

—— agite porrò, pergite
Quomodo occœpiſtis, bibite, pergræcamini,
Eſte, effercite vos, ſaginam cædite.

Explicat Lambinus: *Saginam cædite*, cibos & dapes parate, quibus ſaginemini, tamque boves & pecudes: tranſlatum à boum & pecudum ſagina, frondibus enim cæſis & ſtrictis ſaginabantur. Ait

 etiam

etiam quemdam virum doctum explicare: cibos dentibus concidite, conficite & comminuite, quibus corpus ſaginetis & qui in ſaginam vertantur. Sed potius, ut mihi videtur, amplecti mavolt nonnullorum interpretationem: Saginam cedite, id eſt, ſaginam date bobus, ut cedite ſit pluralis à cedo. In quibus omnibus interpretamentis *Magnopere à vera lapſus ratione videtur.* Dixi vobis, nec umquam ejus me pœnitebit, *Saginam* pro loco accipi, in quibus animalia, piſces, feræ, alia ſaginantur & ad victum reſervantur, quod aliter Vivarium dicitur. Eâdem fabulâ ſc. 3.

Iam iſta quidem abſumta res erit; dieſque noctesque eſtur,
Bibitur, neque quiſquam parſimoniam adhibet, ſagina planè eſt.

q.d. hæ ædes ſunt velut quædam vivaria, in quibus aluntur & ſaginantur homines. Ita quoque accipio verſum Trinum. Sc. Ita illico.

Aut aliquem apud regem in ſaginam herus ſe conjecerit meus.

ut nimirum dicat ſervus, herum ſuum ex inopia paraſitum futurum, ſeque apud regem aliquem (ſic enim dicebantur homines lauti, qui paraſitos alebant) probè ſaginaturum. Douzam & Lambinum nollem tam fruſtra fuiſſent in loci illius vel correctione, vel explanatione. Poſtea *Sagina* dicuntur ipſa animalia quæ in ſagina vel vivario paſcuntur, ſicut multa talia apud Latinos ſcriptores. Jam ergo claret quid ſit ſaginam cædere, nimirum mactare adſiduè boves, oves, aliaque id genus animalia in ſaginam data. Atque ego hanc veram eſſe interpretationem omnes jam doctos videre puto. Ipſam autem phraſin neſcio an alibi in tota lingua latina reperiatur. Reſtitui ego nuper Sym-

macho

macho in Veriſimilium libris cap. 9. lib. 1. Verba ipſa hæc ſunt: *Non deerit. quo famem pellant. nam comitibus veſtris, utpote ſobriis, cadunda ſagina cura poſterior eſt.* Sumne itaque probus? ſum lepidus? qui Romanam hodie civitatem majorem feci & phraſi auxi elegantiſſima. nam quamvis jam apud Plautum exſtiterit, pluma haud intereſt, legeris quid, an nec intellexeris. Jam Scenâ ſequenti verſu 30.

Venit imber, lavit parietes, perpluunt
Tigna, putrefacit aër operam fabri.

Dixi *perpluunt* pro perpluuntur poſitum, ſicut pallium maculat pro maculatum eſt, pallium rugat, id eſt, rugoſum, Terra movit pro mota eſt, & ſexcenta tanta, quorum partem in Veriſimilibus. Nam perpluere activum eſt, ut paullò pòſt:

Hæc illa eſt tempeſtas, quam mihi amor & Cupido
In pectus perpluit meum, neque jam umquam obtigere poſſum.

Poſtea uſurpatur pro perplui, pluviam in ſe recipere, ut dicto loco & Trinumo:

Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.

Et apud Quintilian. *Cum cænaculum ejus perplueret.* In iſto quoque verſu:

Continuo pro imbre amor advenit in cor meum.

advertendam admonui vim præpoſitionis *Pro.* Pro imbre, id eſt, tamquam imber. Ut Menæch. *Pro ſano loqueris, qui meo me appellas nomine.* Ibid. *Non pro inſano hoc verbum reſpondit.* Apulejus Apolog. *Nec pro amico, nec pro philoſopho facere*, hoc eſt, ut amicum, ut Philoſophum decet. Ceterùm ſuſpiciones tuas ſatis ultus ſum. quare manum de tabula.

EPISTULA X.

VOLRADO à PLESSEN, EQ. SAXONI.

PErgo in Diomede, cujus hæc ſunt eod. lib. 3. [Epos Latinè prius dignè ſcripſit Livius, is qui Romanorum geſta decem & octo complexus eſt libris, qui & annales inſcribuntur, quod fere ſingulorum annorum actus contineant, ſic puta, annales quos pontifices ſcribæque conficiunt de Romanis, qui quidem Romanorum res geſtas declarant.] Sæpe ego tui, vir Nobiliſſime recordari ſoleo; ſed maxima cauſſa cur tui hodie in mentem revocarer ſuberat, cum hæc de origine verſus Epici relegerem. Verè enim non aſſentatoriè dicam, vix unum hodie alterumve in Germania noſtra reperiri putem, qui in eo carminum genere paria tecum faciat. Et ut alii civilem tuam ſapientiam, quippe ejuſdem gnari, mirificè in te commendant, ita mihi qui & ipſe peſſimis verſificatorum minimè me accenſeri velim, illud de te judicium ſumere auſim. Ceterum, ut ad Diomedem noſtrum revertar, & nonnullas Criſes noſtras tui judicii faciam, Scripti libri lectionem puto eſſe præſtabiliorem: [Epos latinum primus dignè ſ. L. is qui res Rom. decem & o. c. e. l. qui & Annales, quod ſingulorum fere annorum actus contineant, ſicut publici Annales, q. P. ſ. q. conficiunt vel Romanis quod Romanorum res geſtas declarat.] niſi quod poſtrema illa verba: *vel Romanis* &c. ut gloſſam reſipientia, cum Modio delenda cenſeo. Verſus Tibulli ſic ibidem leguntur in mſ.

Divi-

Divitias alius fulvo ſibi conſerat auro,
Et teneat culti jugera multa ſoli.

De Satyra ſequitur: [Satyra eſt carmen apud Romanos non quidem apud Græcos maledicum & ad carpenda hominum vitia archææ Comœdiæ charactere compoſitum.] Sed legendum ſine dubio auctore v. c. [Satyra dicitur carmen apud Romanos nunc quidem maledicum & ad &c.] Et ſtatim de Origine dictionis Satyræ: [Sive à ſatyra lance, quæ referta variis multisque primitiis ſacris Cereris inferebatur & à copia & ſaturitate rei ſatyra vocabatur.] Principio moneo ſcribendum *ſatura*, ne etymologia abhorreat. Deinde legendum ex mſ. *primitiis in ſacro apud priſcos* DIS *inferebatur.*

EPISTULA XI.

ADOLPHO BOYE à NORDSTRAND.

HOc illud erat ſcilicet, Adolphe cariſſime, quod ſuperiori æſtate, cum mei viſendi Ingelſtadium cum CL. Rittershuſio noſtro veniſſes, in Symmacho tibi oſtendi, oportere peregrè profectos auſpicia præſtare literarum: ut tu jam tot non dico hebdomadas ſed menſes, ut à nobis hinc abſceſſiſti, ad Rittershuſium unas quidem, ad me etiam nullas omnino ſcriberes. Quis mihi te mutat tantus deus? aut quid te iſtic rerum inter legulejorum & forenſium volturiorum catervam factitare exiſtimem? Enimverò cum mecum recogito, nimis male formido miſer, ne quem ego aliquando meo ſuaſu & impulſu ſubtilem aliquem Criticum & poëtam minime prole-

 tarium

tarium vel hordearium futurum ſperavi, is jam nunc in aliam partem palmam poſſideas & Cauſſidicinæ addictus voltuosè & contemnificè de noſtris ſtudiis pronuncies. Sed rurſum cum cogito, equidem fieri haud poſſe exiſtimo, ut quæ tu intantum amaſti ſtudia, ea deſubito animi mutatus jam abjeceris. atque adeo haud te facere arbitror & malim alicui ſegnetiei tuæ longum illud ſilentium adſcribere potius quam ut te noſtri noſtrorumque ſtudiorum faſtidire putem. In quam partem ut me potius adſentationem flectere ſcias, ecce tibi has emendationes noſtras, quas numquam tibi legendas mitterem, ſi te eſſe, ut ſuſpicabar primulùm, etiamnum rear. Prolog. Capteiv.

Si quem reperire poſſit, cum quo mutet ſuum
Illum captivum ——

adſentio doctiſſimo Giphanio qui priore verſu τὸ *Cum* tamquam à gloſſatoris manu inducit. Sic ſcenâ primâ ſimiliter legendum puto:

Aliquem invenire ſuum qui mutet filium.

extrita particula *Cum*. nam & ſic ſcenâ ſequenti de captivo Alio:

Hoc illum me mutare confido fore.

Quem ſc. 2. verſum ſtatim ſequitur:

Sed quid tu id quæris?

In aliis libris. *quid tam id q.* idem ille Giphanius: *Quidum id quæris?* quod placet. Act. 2. ſc. 2.

Hinc, ubi erunt induciæ, tuum qui conveniat patrem.

non ſic forte viſum fuit illico, cum in Camerariano reperi: *Convenit.* putoque hoc unum eſſe notæ

notæ antiquariæ. *Convenit* pro conveniat, edim pro edam & ſimilia multa. Sicut autem *Edim* pro edam, *volim* pro volam dicebant, ſic puto *convenit* pro covenat dictum. *Convenat* verò pro conveniat, ſicut *evenat* pro eveniat. Ennius Hecubæ:

Senex ſum, utinam mortem oppetam,
Priuſquam evenat, quod in pauperie mea
Senex graviter gemam.

Sic expetim pro expetam ſcriptum in Langianis libris Ciſtell. act. I. ſc. I.

Quæ vos arbitrabor velle, ea ut expetim.

Similiter Truculento act. I. ſc. I. uterque Camerarianus codex exhibet:

Qui noſtræ ætati tempeſtivè temperint.

Ubi editur, *temperent.* Sed redeo ad Capteivos. Eodem act. ſc. 3.

Ad te atque ad illum pro rota uti me licet.

In membranis: *atque illum.* Inde conjecit noſter Rittershuſius: *ad te adque illum.* quod nonnumquam apud veteres legas licet. Sc. Miſer eſt. loquitur de die, quam ſibi adverſam queritur:

Nec cui minus procedat, quicquid facere occeperit.

Timide, mihi crede, tales locos atque hic eſt adgredior. vix enim mihi perſuadere poſſum, quin ab jam alio correctus fuerit. certè correctu fuit facillimus. Sed quia à nemine dum factum video, corrigo ipſe: *Nec qui minus procedat, quicquid facere occeperis. Qui* pro quo. Sic Caſin. *In eum diem qui quod amet in mundo ſiet.* Sc. Quo illum.

Atque ut perſpicio, profecto jam aliquid pugna edidit.

malim *pugna dedit*, id eſt, aliquam technam machinatus eſt. Sic Pſeud.

Priuſquam iſtam pugnam pugnabo, ego etiam prius
Dabo aliam pugnam claram & commemorabilem.

Seqnenti ſcenâ:
Adſtringite illi ſultis vehementer manus.
Ty. *Tuus ſum, tuas quidem vel pracidi jube.*

Rectè Giphanius noſter: *tu has quidem.* Atque hæc erant, quæ ad oram libri noſtri reliqua in Captivis Plauti enotabamus, quæ quamvis tenuia eo placebunt magis, quod à viris doctis pleraque & amicis tuis profecta ſunt, & verò alienis quoque non omnino improbabilia videri poſſunt. Tu bene vale & nos ama.

Epistula XII.

Johanni Christoph. à Jasmund, Eq. Saxoni.

Porro quoque Satyram nobis demereri ſtudebimus, ejuſque Originem paullò faciemus evidentiorem, maximè ſchedis adjuti, quas M. Velſerus ex bibliotheca ſua prolixè mecum communicavit, quarumque nomine numquam ipſi ſatis habere gratiam potero. Pergit itaque Diomedes de ſatura: [Sive à quodam genere farciminis, quod multis rebus confertum ſatyram Varro vocitat. Eſt autem hoc poſitum in ſecundo libro Plautinarum quæſtionum. Satyra eſt ubi paſſa & polenta & nuclei pinei ex mulſo conſperſi.] Sed audacter mecum legas licet, immò cum vet. c.

[S. a.

[S. a. q. g. f. q. m. r. c. ſatyram dicit Varro vocitatam. E. a. h. p. i. ſ. l. P. Q. Satyra eſt uva paſſa & p. & nuclei pini & (Modius hoc delet) mulſo conſperſi.] Sequitur apud eumdem de Bucolici carminis Origine: [Habitus verò hujuſmodi videbatur. Erat panis magnus omnium ferarum imaginem complexus, cum vino & folle leguminum omnis generis, inerat corona in capite, & in manu pedum clavatum, atque ita victorum omnium fores multitudo carmine circuibat, victoriam quam adepti fuerant canebant.] Longè verò verius & venuſtius legetur, ſi ex manu deſcripto codice reſtitueris: [Habitus autem h. v. E. p. m. o. ferarum imagine completus & uter cum vino & follis cum omnium leguminum genere. inerat eo (*τὸ Eo puto delendum ut repetitum ex corona*) Corona in c. & in m. p. c. a. i. v. o. f. m. circuibat in carmen &c.] Eleganter ſatis, *canebant in carmen* pro in carminis modum, ut carmini ſimile eſſet. Sic Apulejus: *In lapidem ſteti gelidus*, id eſt (ut doctè interpretatur Stewechius) non aliter obrigui timore, quam ſi in lapidem forem converſus. Sic idem de ſe aſino in hominem denuo redituro: *De jumenti quadrupedis incurvo gradu rurſum rectus in hominem reſurgerem*, pro in morem hominis. Sic alibi *Jacere in mortuum. Jupiter mugivit in bovem.* Sed & veteres gloſſæ in Juvenal. *Nam & ipſe pugnavit in gladiatorem*, id eſt, ut gladiatores ſolent. Alia numero plura adpingere ſanè poſſim; ſed non debeo apud, te Jaſmunde Nobiliſſime, nugas noſtras magnopere venditare, vel patientia tua in pellegendis illis abuti: quamvis norim te vel pro amore, quo omnes literas politiores proſequeris, vel privata etiam amicitia noſtra, quam nuper adeò Noribergæ bonis avibus contractam, quantum in me eſt æternùm conſervare volo, libenter

benter ad arbitranda hæc noſtra animum intendere ſolere.

Epistula XIII.

JOACHIMO von der OSTEN, EQ. POMERANO.

Non ego primùm mediocriter gaviſus fui, Joachime Nobiliſſime, cum Ingelſtadium interviſens te cum V. Cl. Ignatio Hanniele noſtro offendi: ſperavique futurum ut quam Althorphi prius amicitiam contraxeramus, tecum inibi, à quo me amari & ad invidiam aliorum æſtimari intellegebam, conſervarem. Sed avocarunt te brevi ſceleratiſſimorum hominum, vigilum inquam impune in ſtudioſos quoſque inveterato jam more, nobiles ignobiles, graſſantium contumeliæ, à quibus nefariè & periculosè volneratus me aliosque meritò ut ab ejusmodi locis caveremus & iſtuc potius, ubi ſtudioſorum privilegia ſancta habentur cogitaremus docere potuiſti. Et nos quidem ambo (ne quid heic alios memorem) ego inquam & Ignatius ſecuritatis noſtræ, quodque inſuperhabita tua injuria non ocius abiverimus, precium retulimus, ut nimirum (ego præſertim) in vita noſtra de vigilibus illis vel latronibus Ingelſtadinis gloriari poſſimus ferè ut Diomedes apud Virgilium de Ænea:

——experto credite, quantus
In clipeum adſurgat, quo turbine torqueat haſtam.

nam alia ut memorem, quæ indigna ibi vidi & perpeſſus ſum, nihil neceſſe exiſtimo. non enim in id noſtrum ſermonem inſtituimus, ſed ut has ad

te

te Criſes adferrem, quibus de amicitia noſtra veteri te in mentem revocarem. quas eo leges lubentius, quo Plautum tibi cariorem ſemper habuiſti. Ac primum æſtima ſis, quantivis pretii ſint verſus quos cum ceteris Trinummo ſc. 2. legere eſt, de amici in amicum libertate & candore. quorum hæc fere ſumma:

Si quid ſcis me feciſſe inſcitè aut improbè,
Si id non accuſas, tu ipſe objurgandus es ſcio.

Sed poſteriorem verſum ex utroque Camerariano malim corrigere:

Si id me non accuſas, tute ipſe objurgandu's ſcio.

Eâdem ſcenâ:

Dediſtine ei hoc pacto gladium qui ſe occideret?
Quid ſecus eſt, aut quid intereſt dare te &c.

Verſu poſteriore mſſ. duo: *Quid ſecutus eſt.* Unde Rittershuſius: *quid ſecujus*, vel, *ſequius*. Sequitur ibidem:

Adeſurivit magis & inhiavit acrius
Lupus. obſervavit dum dormitaret canes,
Gregem univerſum voluit tecum avertere.

Senſus non patitur iſtuc, *tecum.* quare ſcribo volentibus libris: *voluit totum avertere.* Inſolens viſum ſciolis, *Univerſum totum.* quo tamen nihil ſcis dici potuiſſe Plautinius. Sic Moſtellar. *non videor mihi Sarcire poſſe ædes meas, quin totæ perpetuæ ruant.* Nam *perpetuæ* ibi nihil aliud quam totæ. Sic ead. Trinum. Sc. Staſime fac. lego cum 2. mſſ.

—— nam id genus hominum omnibus
Univerſis eſt advorſum, atque omni populo malefacit.

Volgo:

Volgo: *hominibus univerſis*. Sic Apulejus 7. de aſin. *Talibus dictis univerſi omnes aſſensêre.* Eâdem ſcenâ:

Haſcine me propter res maledicta differunt.

In ambobus Camerarii codicibus: *maledictas famas ferunt*. quo cogitavi quid facerem, nec dum autem quicquam inveni. Sin autem quid nuper ſuper eo ſomniaverim, ſcire ſtudes, equidem narrabo tibi velut conjectori cuipiam. In ſomnis itaque (verò feriò loquor) incidit mihi, ſcriptum forte fuiſſe, *maledictis*. cogitavi etiam, ſ. &c, ſ. ſanequam ſimiles, f, rurſum pro V conſona ſæpius repoſitum, quare ſimiliter in ſomnis correxi: *maledictis diffamaverunt*. Diffamaverunt, penultima correpta more veterum. Et ſic erit verſus Jambicus ſeptenarius, neque is tamen in hac ſcenâ ſolus. Sane hic niſi de ſomnio dico nihil. Tu verum ne ſomnium ſomniaverim exiſtimabis. Sc. Minus quindecim.

Di divites ſunt, deos decet opulentia,

Malo ut in altero Camerariano factum ſcribere: *decent opulentiæ.* ut Sticho. *Secundas fortunas decent ſuperbiæ.* Sc. Ut mihi rem.

Quo pacto ergo agetur?

Scribo cum utroque manuſcripto: *ergo igitur.* Ergo igitur, elegans pleonaſmus, ut quamvis licet apud Lucretium, En ecce apud Apulejum, qui ut credibile eſt, ſuum Ergo igitur quod adeo celebrat, hinc imitando expreſſit: ut v. g. lib. XI. ubi Iſis dea Apulejum tum aſinum ſic compellat: *Jam tibi providentia mea illuceſcet dies ſalutaris. ergo igitur imperiis iſtis meis animum intende ſolicitum.*

EPI-

EPISTULA XIV.

JOHANNI LADISLAO.

IDeo autem Latinè Planipes, quod actores planis pedibus, id eſt, nudis proſcenium inroirent, non ut Tragici actores cum cothurnis, neque ut Comici cum ſoccis olim, non in ſuggeſtu ſcenæ, ſed in plano Orcheſtræ poſitis inſtrumentis mimicis agitabant.] Verba hæc ſunt Diomedis lib. 3. de fabularum origine, quæ tamen corrigenda juſſu veteris libri: [I. a. L. Planipes dictus, quod a. p. p. i. e. n. p i. n. v. T. a. c. c. n. v. c. cum ſoccis, ſive quod olim non in ſ. ſcenæ, ſ. in p. o. p. i. m. actitabant.] Sequitur ibidem: [Horatius: Aut agitur res in ſcenis aut acta refertur. Dramaticæ verò tres perſonæ ſolæ agunt, ideoque Horatius ait: nec quarta loqui perſona laboret, Quia quarta ſemper muta.] Paullò auctiores atque haud ſcio an meliores ſchedæ: [H. A. a. r. i. ſ. a. a. refertur ſicut in choro. In Græco dramate ferè tres perſonæ. ſ. a. I. q. H. ait, Nec q. l. p. l. Quia quarta ſemper mutat.] Modius pro *Mutat* conjecit *Mutitat*, & fortaſſe per Muſſitat interpretatus eſt: mihi placeret *Muſſat*, id eſt, tacet: de quo tamen tuum Ladiſlaë viri doctiſſimi & in judicandis veterum ſcriptoribus cenſoris acerrimi judicium exſpecto. Cui ſi ſuſpiciones non omninò vanæ meæ videbuntur, nihil erit quod veſtratium viliſſimorum capitum cenſiones exhorreſcam, quorum malivolentiæ hoc apud me profectum denique, contraquam illi ſecum voverant, nullam omnino illorum mentionem in libris meis umquam facturus ſim, quoſque ut ego nunc vehementer vapulare, ita te mihi & reipub. diu ſuperſtitem eſſe volo.

EPISTULA XV.

GEORGIO CAROLIDÆ P. L.

PRo ea quæ tibi cùm amicorum meorum amiciſſimo Rittershuſio intercedit familiaritate, paullò te hic vir doctiſſime familiarius compellare & ad legendas ac judicandas ſuſpectas haſce lectiones ſollicitare volui. In Bacchidibus lepidiſſima Plauti fabula hodie eram, inibique ad oram libri mei reprehendi, quæ nunc explicabo. Sc. Ibo in Piræum.

Haud dormitandum eſt, eſt opus Chryſo Chryſalo.

Sic ex duobus mſſ. lego, volgo: *Chryſale.* Sed illud longè venuſtius, quaſi ex nomine aurum promere debeat. Sicut poſteriùs:

Quid mihi refert Chryſalo eſſe nomen niſi factis probo?

Eâdem ſcenâ:

Quando extemplo à portu ire nos cum auro vident.

In mſſ. *Quum.* lego: *Quom extemplo.* pro ſimulac. quo infinitis locis Plautus utitur, ut Moſtellar.

Ædes quom extemplo ſunt paratæ, expolitæ,
Factæ probè examuſſim Laudant fabrum ——

Verſu uno interjecto ſequitur:

Nos apud Theotimum omne aurum deponimus.

Miror non vidiſſe Lambinum verſum non conſiſtere. Verius enim fuit, ut in Camerarianis membranis exſtat, *depoſivimus.* pro depoſuimus. Catull, *depoſivit olivam.* Eâdem ſcenâ lego:

Nunc tibimet illuc navi capiundum eſt iter.

Sic

Sic enim libri ſcripti. volgò : *Na tibi* : Act. 4. ſcen. 2.

In eum nunc hæc venit res locum , ut quid conſilii
Dem meo ſodali ſuper amica neſciam.

Scribo membranas ſecutus. *In eum revenit res locum.* Quomodo alibi : *eo res rediit.* Terent. Adelph. act. 2. ſcen. 4.

Sed hoc mihi dolet , nos ſero ſciſſe & pæne in eum locum
Rediſſe , ut ſi omnes cuperent , nihil tibi poſſent auxiliarier.

Et Phorm. act. 1. ſc. 2.

Præſertim ut nunc ſunt mores , adeo res rediit ,
Si quis quid reddit , magna habenda eſt gratia.

Sc. Conſtringe.

Atque in eo ipſo adſtas lapide , ubi præco prædicat.

Scribo jubente manuſcripto : *ut præco prædicat.* Ut pro ubi Catull.

Sive in extremos penetrarit Indos ,
Litus ut longè reſonante Eoâ
Tunditur undâ.

Idem ad Coloniam :

Verum totius ut lacus putidæque paludis
Lividiſſima maximeque eſt profunda vorago.

Ovid. 1. Metamorph.

Utque erat & tellus , illic & Pontus & aër.

Sic ibi rectiſſime Giphanius , qui videndus Indice Lucretiano , ut mirer fuiſſe , qui in re expedita tricari & nodum in ſcirpo quærere præoptarent. Sc. Atridæ duo.

—— nunc pater ne pejerem
Cura, atque abduce me hinc ab hac quantum poteſt.

Membranæ: *nunc ne perjurem pater.* quod credo, depravarunt ſcioli minus Latinum exiſtimantes Perjurare pro pejerare. At ſic tamen hic noſter & alibi ſæpe & Ciſtellaria locutus eſt act. 2. ſc. 1. Perjurare me patiere? Et Aſinar. act. 3. ſc. 2.

Ubi verbis conceptis ſciens libenter perjuraris.

Act. 3. ſc. 1.

Piſtoclere, tua flagitia, aut damna, aut deſidiabula
Quibus patrem & me teque amicoſque omnes affectas tuos.

Tametſi flagitiis ſuis aliquem adficere vel adfectare Latinè dici non puto, non tamen ignoro, quomodo receptæ lectioni patrocinari queamus, & aliter quidem atque Lambinus factitavit. mihi tamen non inſuperhabendum, quod in membranis Camerarii: *adflictas.* de quo alios quoque arbitrari velim. quamvis ut ſine dolo dicam, in recepta lectione nihil mihi mutandum videtur.

Epistula XVI.

Ampliſſimo & Prudentiſſimo Viro

ACHATIO HULSIO

Juriſconſ. & Conſiliario Cæſario.

QUod Symmachus auctor graviſſimus ſcribit, *Famam ferè ſupra verum de abſentibus loqui conſueviſſe*; illud ego de iis quidem, quibus multi alii comparari poſſunt, verum eſſe comperio; non item de his, quos vel virtus planè ſingularis,

laris, vel eruditio unica cum pauciſſimis conferri patitur. De talibus enim neſcio quo modo paullò invidioſiùs & maligniùs Fama illa prædicare ſolet, & ut vel maximè multas præclaras illorum dotes dicet, ſemper tamen illæ minores, quàm reabſe ſint, apud alienos vel ignotos haberi conſueverunt. Idque nuper adeò, vir clariſſime, cùm tecum Noribergæ eſſem planè ſum expertus. nam tametſi ea fuit nominis tui fama, ut omnes docti bonique virum te doctum, gravem & magnæ in graviſſimis Imperii rebus obeundis fidei ac ſolertiæ eſſe crederemus, ſimul tamen colloquio tuo frui, & bibliothecam tuam optimis libris Græcis & Latinis inſtructam perluſtrare mihi contigit, malignè & parcè admodum tuam apud nos eximiam, & in omni virtutum ac diſciplinarum genere præſtantiam prædicatam comperi. numquam enim, qui meus eſt tamquam jurati animus æquare fama poteſt, quam in te vidi, ſummam in literatos comitatem cum pari ſerietate & morum gravitate certantem, quam etiam miratus fui, inſignem Latinarum Græcarum literarum cognitionem: quâ tu non minùs, quàm graviſſimâ Juris & Politices ſcientia, omnibus te Germaniæ noſtræ Juriſconſultis præferre potes. Et verò documento tu noſtris hominibus eſſe potes, politioris literaturæ penitiorem cognitionem non modò non neceſſariam Juriſconſulto futuro, ſed ne utilem quidem, atque adeò impedimento eſſe exiſtimantibus. Non tu profectò, vir præſtantiſſime, deſidiâ aut turpi otio tam variarum rerum ſcientiam, eamque apud Cæſaream Majeſtatem dignitatem tibi comparaſti. nec enim illa fuit Joach. Camerarii Magni diſciplina, in cujus ædibus & convictu ipſos novem annos SINE QUERELA vixiſti. Et facis tu omnium bonorum parentum officio,

maximè autem dignitati tuæ convenientiſſimum, qui filios tuos eadem ſeveritatis lege proficere cupias. Ac filium quidem tuum Joannem Henricum, quod ita te velle intellegebam, tuis meisque verbis diligenter hodie officii commonefeci, quamvis ille totus patriſſans ultrò, quod ſe decet, exſequitur, & non niſi laudatore & adplauſu ingenii ſtudiique ſui indiget, & filius denique tanto patre dignus futurus omnibus verè judicantibus videtur. quod meum teſtimonium, à me, qui nullo modo tibi ſuſpectus eſſe queo, profectum, ut tibi quam gratiſſimum eſſe debet, ita ad pauculas lectiones noſtras in Diomede Grammatico pellegendas benignè te demittes. Apud eum volgant libri cuſi: [Nam pantomimus & choraules in Comœdia canebant. Verùm actores Comœdiarum, pro facultate & arte potiores principatum ſibi artificio vindicabant. Sic factum eſt, ut nolentibus cedere mimis cum artificio ſuo ceteris ſeparatio fieret reliquorum. Nam dum potiores inferioribus, qui in omni magiſterio erant, ſervire dedignabantur, ſe ipſos à Comœdiis ſeparaverunt.] Addam quoque membranarum lectionem: per quam niſi omnia penitùs emaculabuntur, at minus certè mutila minuſque depravata poſtmodum legentur. Sic itaque mſ. [Nam pant. & pitaules & choraules in C. canebant. Sed quia non poterant omnia ſimul apud omnes artifices pariter excellere, ſi qui erant inter actores Comœdiarum p. f. e. a. p. p. ſ. artificii vindicabant. S. f. e. u. n. c. mimis in artificio. ſ. c. ſ. f. r. N. d. p. i. q. in omni ergaſterio erant ſ. dedignarentur, ſe ipſos &c.] Non minus, ſat ſcio, operam meam viris eruditis & tibi adeò, Vir doctiſſime, probabo, ſi ea quæ ſequuntur itidem augeam. Volgò itaque volgatur: [Æquiformes ſunt, qui non com-

compoſita, ſed ſimplici figura oſtentantur; ut urbe fuit media Laurentis regia Pici. Numquam enim hic duæ ceſuræ inveniuntur. Quinquipartes ſunt, qui quinque partes ſignant, ut Miſcet flumina candida ſanguine ſparſo.] Sed aliter in veteri ſcripto libro: Æquiformes &c. Nuſquam enim hic duæ partes orationis nectuntur. Quiuquipartes ſunt, qui quinque partes orationis liberas poſſident, ut ora citatorum curſu detorſit equorum. Partipedes (*leg. Modius: parides*) ſunt, qui in ſingulis pedibus ſingulas orationis partes adſignant, ut: Miſcent fida flumina candida &c.]

Epistula XVII.

JOHANNI CASELIO V. CL.

Abſit vero, vir clariſſime, ut dum doctiſſimos quoſque homines emendationibus noſtris judices capio, nunc te prætercam, cujus ex omnibus Germanis eruditionem potiſſimum ille olim Italorum optimus & doctiſſimus Petrus Victorius æſtimavit, civis quoque noſter vir omnium judicio & ævo ſuo major Joachimus Camerarius numquam ſatis collaudare potuit. Et verò etiamnum quamvis non more horum hominum ad ſcribendum properas, ſed tua eruditiſſima ſcripta premere & eſſe, quam videri doctior nimiò præoptas, omnes tamen intellegunt, quanta tua ſit in utraque lingua & omni politiori literatura eruditio. quare ſicut ego te merito judicem correctionibus meis popoſci, ita tu humaniter & benivole quæ à te peto impetrata dederis, tuum nimirum ſenſum ſuper illis candidè aperies. Noſti jam diu & docuit præter ceteros Gulielmius tuus

ſæpe apud Comicos in verſuum & perſonarum collocationibus peccatum fuiſſe, ſiquidem omnis hæc diſtinctio à Grammaticis eſt, non etiam ipſis ſcriptoribus. quare quî minus mihi, quam cuiquam Grammaticorum, liceat ſi quid pervorſe tranſpoſitum exiſtimo, in locum ſuum reponere. In Aſinaria itaque act. 1. ſc. 2. herus major ſervo narrat quomodo ipſe æquum cenſeat patres liberis eſſe debere, ſeque promptum & paratum filio ſuo cui argento ad amicam emendam uſus erat, eam copiam facere. Inter illam verò narrationem ſervus animi pendens quorſum herus evaſurus ſit neſcire ſe autumat. Verba quidem quæ huc præcipue faciunt proponam.

—— me habere honorem ejus ingenio decet,
Cum me adiit, ut pudentem gnatum æquom'ſt patrem,
Cupio eſſe amicæ quod det argentum ſuæ.
LI. *Demiror quid ſit, & quo evadat ſum in metu,*
DE. *Equidem ſcio jam filius quod amet meus.*
LI. *Cupis id quod cupere te nequiquam intellego.*
Dotalem ſervum Sauream uxor tua
Adduxit, cui plus in manu ſit quàm tibi.

Quæ vide mihi num ſic aptius inter ſe cohereant, ut ego collocavi:

Cum me adiit, ut pudentem gnatum æquom'ſt patrem.
LI. *Demiror quid ſit & quo evadat ſum in metu.*
DE. *Equidem ſcio jam filius quod amet meus.*
Cupio eſſe amicæ quod det argentum ſuæ.
LI. *Cupis id quod cupere te nequiquam intellego.*

Act. 3. ſc. 3.

AR. *Quem te autem nominem deûm?* LI. *Fortunam atque obſequentem,*
AR. *Jam iſtoc es melior.* LI. *an quid eſt homini ſalute melius?*

Verſu

Verſu poſteriore in Camerariano & Langianis ſcriptum : *an quid eſt olim homini ſalute melius ?* quod forte retineri poteſt ; putavi tamen aliquando : *an quid eſt ; o di , homini ſ. m.* Sed nunc aliud latere ſuſpicor , de quo captum ſit collegium augurum. Non multò pòſt :

Dabuntur , animo ſis bono , facile exoptata obtingent.

Si Douza Langianorum librorum ſcripturam, quod debuit, conſiderare voluiſſet, facile hunc correxiſſet locum. Legendum enim : *animo ſis bono face ; expt. ob.* & ſic Camerarianus codex. Act. 4. ſc. 1. in lepidiſſimo illo ſyngrapho :

Forte ſi tuſſire occepſit , ne ſic tuſſiat ,
Ut cuiquam linguam in tuſſiendo proferat.

Scribo volente mſ. *proſerat.* quo verbo & Lucanus uſus eſt. ſicut Exſerere linguam apud Livium. Act. 1. ſc. 1.

Numquid nam moleſtum eſt gnate mi , ſi hac nunc mecum accubat ?

Malim ut in Langianis fuiſſe video : *ſi hac mecum una accubat.* Mecum una , ut tecum ſimul , juxta cum ignariſſimis ſcio. Tecum pariter apud Propertium. Aulular. ſc. 1.

Nec nunc mecaſtor quid hero ego dicam meo
Mala rei eveniſſe , quamve inſaniam
Queo comminiſci.

Verſu primo Camerarii liber : *Noenum mecaſtor.* Haud ſcio an legi oporteat : *Nenum mecaſtor.* Nenum vel Nenu apud Lucretium , Nonium pro Non.

EPISTULA XVIII.

Reverend. Nobili & Strenuo Viro,

JOHAN. GEORGIO
à WERDENSTEIN,

Cathed. Eccleſiæ Auguſtanæ, Eyſtadinæ & Conſtantienſis Canonico &c.

NOn deſinam etiam Diomedem juvare & medicinam illi, quantum per veteres libros licet, facere. Nec te opinor, vir Nobiliſſime, invito fecero, ſi quæ hodie in illum parabam, tibi potiſſimum arbitranda inſcribſero. Præter enim quòd ſolum te in his oris ſtudia hæc humaniora juxta cum graviſſimis reipub. negotiis feliciter tractare notum eſt, quod & bibliotheca tua inſtructiſſima, abundè teſtari poteſt: literæ tuæ nuperæ fecerunt, ut omnia mihi de humanitate tua ſingulari pollicerer. Sic enim ſcribis ad Rittershuſium noſtrum, ut te de ingenio ſtudiisque meis quàm optimè exiſtimare intellegam, quippe qui & cupidiſſimè prius Veriſimilia mea exceperis, & porrò etiam Suſpectas meas in ornatiſſima bibliotheca tua non poſtremo loco collocare velis. Sequitur. lib. 3. [Qualitas metri qua intelligimus utrum principale ſit metrum an derivatum, vocatur. Finita eſt autem, aut infinita. Finita eſt, quæ ſtatuto pedum convenientium modo, & numero ſyllabarum diffinito, quoad petendi formam deceat uniformis ſtructuræ converſione decurrit.] Sine dolo dicam, quaſi dormiens & per ſtrepitum mihi quid inaudire videor, dum hæc verba idemtidem relego; credo & aliis itidem.

itidem. quare vide ſis ſi per manuſcriptum familiariora & evidentiora fieri queant. Ergò in membranis ita leguntur : [Qualitas metri eſt, qua i. u. p. ſ. m. an derivativum, hoc eſt, finitæ an infinitæ. F. e. q. ſ. p. c. m. & n. ſ. d. quoad protendi debeat multiformis ſtructuræ &c.] Ibidem de Elego pentametro : [In primis duabus greſſionibus admittit dactylum & ſpondæum, tam invicem inter ſe compoſitos, quàm inter ſe irritantes, prout ratio poſtularit. Tertiam regionem ſine dubio perpetuo ſpondæus debet habere. Si memoriati pedis brevem priorem ſyllabam pro longa poſitam invenies, quæ ratio ſit, ne te moveat. Poteſt enim eſſe ratio aliqua, qua pars orationis finitur.] Adeò miſerè miſer ille nobis Diomedes deformatus, ut quem locum mendoſum dicas potiſſimùm, neſcias. Nihil enim in toto illo ſcriptore ſani, nihil non adfecti, hoſpitium mendarum eſt, quid verbis opus eſt? Hæc certè mendi ſuſpicere auſus non fuiſſem, niſi à ſchedis admonitus, ita legendum ſuadentibus : [In p. d. g. d. e. ſ. t. i. i. ſ. compoſitos, quàm ſe iterantes p. r. p. T. r. ſ. d. p. ſ. d. habere, & ſi memorati p. b. p. ſ. p. l. p. inveneris, quod rarò fit, ne te moveat. Poteſt enim hæc eſſe communis, qua pars orationis finitur.] Fr. Modius in medio verborum mavolt : *Sed etſi memorati*. mihi tamen nulla mutatione opus eſſe videtur.

EPISTULA XIX.

JOHANNI RODOLPHO MEISIO TIGURINO.

Non vivam, Nobiliſſime & cariſſime Rodolphe, niſi ejus amicitiæ quæ inter nos jam olim cœpit, etiamnum cottidie meminiſſe ſoleo. Obverſatur ſemper animo indoles tua illa nobilis & atavis ſuis minimè indigna, tum autem candor tuus multis mihi argumentis perſpectiſſimus. nec quicquam peregrinationes noſtræ, quibus diſpulſi ſumus, apud me valuerunt, quin te caput dulciſſimum in oculis ſemper & animo abſentem tamen circumferrem. quin tu mutuum mecum facias, minimè dubitare auſim. Et quando te etiamnum memoriter meminiſſe puto, quod antehac tibi de ſcriptorum veterum lectione dedi conſilium, hæc emendationum Plautinarum ſpicilegia, quibus illius conſilii in mentem revocareris, ad te mittere decrevi. Ciſtellar. act. I. ſcen. I.

Nam mea mater, quia ego nolo me meretricem dicier,
Obſecuta eſt, de ea re geſſit morem morigera mihi,
Ut me, quem ego amarem graviter, ſineret cum eo vivere.

Inclinabam corrigere: *morem morigerè mihi.* Morigerè morem geſſit, ſicut, madidè madere, validè valet, ſapienter ſapit, memoriter memini, properè properas & alia nimio plura, quæ receptæ lectioni defendendæ adferri poſſint, non ignoramus. Act. 2. ſc. I. loquitur adoleſcens amore perditus:

Ita me amor laſſum animi ludificat, fugat, agit, appetit.
Raptat,

Raptat, retinet, lactat, largitur. quod dat, non dat, deludit.

Ita ſcribendos cenſeo, pro volgato nimirum *lapſum animi*, & verſu ſecundo pro *jactat.* enim auctores habeo idoneos, libros veteres. Non placuit, ſcio, Gulielmio, *Laſſum:* quia apud Propertium legitur *Lapſus.* at eum Propertii locum nec legi recte nec intellegi volgò, docui in Veriſimil. Sic alibi, *amore diſſatigor* dixit. Lactat autem dixit trahit, à lacio. Sicut Lucretius ait catellos à canibus lactari pedibus, pro trahi. Eâdem ſcenâ:

Abi, quære, ubi jurijurando tuo ſatis ſit ſubſidii.

Scribo cum libro veteri: *Abi quærere* pro quæſitum abi. Moſtellar.

—— ego ire in Piræum volo
In veſperum parare piſcatum mihi.

Sequitur ibidem:

Redde mihi illam. ME. *inter novam rem verbum uſurpabo vetus:*
Quod dedi, datum non vellem: quod reliquum eſt, non dabo.

Inter novam rem pro in nova re eleganter dictum interpres non admonuit. Ut *Inter cenam* pro in cena. Cic. 2. Philip. [Si tibi inter cenam in tuis immanibus illis poculis hoc accidiſſet.] Sic Sueton. Galba cap. 5. [Galbam adeo omnibus ſolicitaverat modis, ut inter conventum matronarum correpta jurgio atque etiam manu pulſata ſit à matre Lepida.] Ubi non fuit, cur Torrentius ex libris à Carolo Langio collatis receptam lectionem immutatum iret. nec dubito quod in duobus codicibus ſcriptum fuiſſe ait, *in conventu*, ex

ex gloſſa inrepſiſſe. Sic *inter vias* pro in via publica ſæpe apud hunc noſtrum. Sic *inter gaudium* pro in gaudio. Agellius lib. 3. cap. 15. [Philippides quoque comœdiarum poëta haud ignobilis, ætate jam edita, cum in certamine poëtarum præter ſpem viciſſet & lætiſſime gauderet, inter illud gaudium repente mortuus eſt.] Ad quem locum ſic commentatur eruditiſſimus Lipſius Elector. lib. I. cap. 21. *Volt dicere Philippidem ætate ſenecta fuiſſe. Ea vis an vocis Edita ſit, ignoro. Potius ſcribſerim, ætate jam exita. Similis illa apud Suetonium locutio in Claudio, ætate progreſſa.* Hæc Lipſius; in quibus utinam ne fruſtra fuiſſet! Et quiſquam dubitabit ſcribendum: *ætate jam media.* literâ, m, ex præcedenti voce adſumpta. Sic Plautus Aulul.

Poſt mediam ætatem, qui mediam ducit uxorem domum,
Si eam ſenex anum prægnantem fortuitu fecerit.

Ibidem explicat quid ſit mediæ ætatis mulier, nimirum Grandior natu. Sequitur immediatè in Ciſtellaria:

Non remiſſura es mihi illam? ME. *pro me reſponſa tibi.*

Nimiò feſtivior erit lectio: *pro me reſponſas tibi.* q. d. quid opus eſt me dicere quod non remiſſura ſim, cum tu ipſe dixeris? Sic verſ. ſeq.

Non remittes? ME. *ſcis jamdum omnem meam ſententiam.*

geminum plane illi, Quod in ſacris Literis, *Tu dicis.* Eod. act. 2. ſc. 3.

Deos teque ſpero. LA. *Eoſdem ego, uti abeas domum.*

Verius puto levi mutatione: *Potin abeas domum?* quomodo plus ſexcenties apud Plautum legimus.

E p i-

Epistula XX.

CONRADO SCHIOPPIO FRANCO.

QUæ in Diomedem ex v. l. proponere ſoleo, patruelis cariſſime & doctiſſime, non ſunt illa quidem ſemper Grammatico illi emaculando; fateor. neque ſane quæro quicquam, niſi ut ingenioſis hominibus materiam ſui exercendi relinquam. at quod jam ſtatim repræſentabo, faxo alterius eſſe notæ dicas. Diomedes itaque de Trochaico metro explicans [Hoc autem, inquit, metrum ab jambico diſtat, quod in illo combinatis pedibus ſubjungitur unus de tribus, qui ex brevi conſtant: in hoc autem ſubjungitur quilibet de quinque pedibus.] Corrigenda & locupletanda hæc ex ſchedis veteribus: [combinatis pedibus ſingulis combinationibus præponitur quilibet pes de ſupra memoratis v. pedibus. Et ſubjungitur unus de tribus, qui ex brevi conſtant: in Trochaico verò verſa vice trinæ combinationi præponitur unus de tribus & ſubjungitur quilibet de quinque pedibus.] Enimverò nequeo durare, quin crucem illis cuculis imprecer, qui hunc locum, pariter atque alios, tamdiu admutilarunt. quorum virtute quoque factum, ut apud eumdem Grammaticum ante Jambicum Scazonta ſimiliter de Jambico Tragico aliquammulti verſus intercciderint. quos nunc velut Edicto prætorio in veterem ſuam poſſeſſionem reſtituo: [Jambicus Tragicus ut gravior juxta materiæ pondus eſſet, ſemper quincto loco Spondæum recipit. aliter enim eſſe non poteſt Tragicus: cetera ratio ſuperioris jambici in hoc obſervanda eſt. *Cetera*, venuſtè dixit

dixit ſimul & vetuſtè, pro quantum ad cetera attinet. Virgil.

Conſertum tegmen ſpinis, at cetera Grajus.

Apul. x. de aſino: [Poſſumus quidem omnia cetera fratres manere, ab iſto tamen nexu communionis diſcedere.] Martialis de ſcaro piſce:

Viſceribus bonus eſt: cetera vile ſapit.

Utuntur eo multi veterum, non etiam Cicero.

Eᴘɪsᴛᴜʟᴀ XXI.

ADAMO à SCHMALENSEH, EQ. POMERANO.

MEmbranis veteribus, Nobiliſſime & amiciſſime Adame, plurimum ſemper tribuere ſoleo. neque id non jure optimo à me fieri intellegis. Nam quid iſti audaculi, qui integros conjecturarum libros, nullo omninò libro veteri adjuti, ſolo ingenio ſuo & divinandi ſcientia freti, procudunt, aliud conſequuntur, niſi quod parum decorè famæ & exiſtimationi ſuæ conſulere à doctiſſimis quibusque judicantur. Idem ne mihi uſu veniat, cautio eſt. Quare ſemper videri malo, veteres ſcripturas religioſè repreſentare, quàm ſubtilibus nugis gloriolam aliquam & plauſum ingenii aucupare. Talia erunt & hæc, quæ tibi legenda deſcribebam. Milite glorioſ. Sc. Niſi hercle, volgant libri:

Mihi quidem jam arbitri vicini ſunt, mea quid fiat domi.

In duobus membranaceis codicibus ſcriptum eſt: *arbitri*

arbitri & vicini ſciunt. quod ſi amplectemur, *τὸ Mihi* erit parelcon, ſicut Ciceron. in Piſonem: Is mihi etiam gloriabatur ſe omnes magiſtratus ſine repulſa adſecutum. Et alibi ſæpiſſime. Terent. Phorm. Qui mihi, ubi ad uxores ventum eſt, tum fiunt ſenes. Ad quæ verba Donatus: *Eleganter inſertum Mihi, ut in Heauton. Is mihi ubi adbibit plus paullò ſua quæ narrat facinora?* Sequitur in Plauto:

Nam mulier olitori numquam ſupplicat, ſi qua eſt mala:
Domi habet hortum & condimenta ad omnes mores maleficos.

In manuſcripto codice fuit: *moles malificas.* quod neſcio ſi retinendum ſit. dixiſſet ergo Plautus *Moles* pro dolis quibus aliquis expugnatur, ſicut alias Machinas eadem notione apud Latinos frequentatur. Eâdem ſcenâ:

Tibi ego dico aneuritatus ne ſis, heu te alloquor Palaſtrio.

Tentavi jam olim hunc locum, ut ſcire te puto, in libris Veriſimilium; putavique, legendum, *an ebriacu's? ne ſis.* Pflugius autem noſter ingenioſè, ut ſemper, divinaverat: ἀνευρότατος ne ſis. id eſt, infirmus & imbecillus, ſicut ſæpe Plautus Græca immiſcet. Ceterùm jam alia omnia ſentio, ob libros ſcriptos, qui ſic legunt: *an heriatus veſtis.* Unde ego, quòd ſcirem, h, in duobus illis codicibus ſæpe pro f, & hoc pro illo ſcriptum putabam primulum: *an feriator, neſcis, heu, te adloqui?* id eſt, compellari. paſſive, ſicut in iiſdem membranis exſtat. *Feriatus* pro feriator, ut Moſtellaria *oratus* pro orator, in utroque mſ. perperam ſcriptum fuerat. Putabam etiam: *an feria tuà neſcis.* Putavi etiam plura, non minus inepta, donec audirem

Pflugii

Pflugii mei lectionem: *an heri artus veſtis.* Putat ille, literam *r*, quòd literæ *t*, nimis eſſet ſimilis, omiſſam. quod ſæpius factum, doceo alibi. Ceterùm mihi placet magis iſti Pflugiano vicinum & ex eo natum meum commentum: *an heri artus neſcis?* ut ſenex quaſi prædicat Palæſtrioni fore ut ipſe pugnos heriles devoraturus ſit, ſi miles reſciverit concubinam ſuam Palæſtrionis opera cum alio oſculatam. Sic Curcul. extrema minaciarum plenus miles:

—— novi ego hos pugnos meos.
CA. *Quid tum?* MI. *quid tum? rogitas: hiſce ego ſi tu me irritaveris*
Placidum ted hodie reddam.

Sic & alibi ſervus virgatorum valentiam prætimens: *Novi noſtros.* Sequitur eâdem ſcenâ verſus, qui multum noſtris Criticis faceſſit negotii:

Magnum illic honorem incipis, ſed magna munis mœnia.

Joachimus Camerarius vir omnium doctorum communi conſenſu (ne quis civem meum ambitioſe mihi laudatum putet) ævi ſui optimus & doctiſſimus & Plauti ſoſpitator unicus, primus mendum hîc latere odoratus eſt, quare maluit: *Magnam illic hanc rem incipiſſis.* quem deinde Lambinus, aliique ſecuti fuerint, præter Douſam patrem, qui ne ipſe eſſet aſymbolus divinavit: *Magnum illinc honorem indipiſces.* Ceterum ſi mihi homini adoleſcenti ab his Semonibus ſeorſum ſentire fas ſit, velim nihil in loco ſano perſanando laboraſſent. mihi enim rectè habere & ſine noxa eſſe videtur, niſi quod cum Guliel. malim *Et* pro *ſed* legere. *Honorem* pro onere & onus viciſſim pro Honore antiquis frequentatum fuiſſe plures ante me

me docuerunt. Dixiſſet itaque Periplectomenes: Magnum tu quidem Palæſtrio & plenum periculi onus incipis, & magna mœnia defendendæ urbi tuæ & tergo à virgis probe muniendo ædificas. Paullò pòſt ex iiſdem membranis legendum puto:

Herus meus elephanti corio circumtentus eſt, non ſuo.

ubi vulgo: *circumtectus.* Scenâ ſuperiori:

—— nam is illius filiam
Conjicit in navem miles, clam matrem ſuam.

Manuſc. unus: *contigit.* alter *contegit.* quod placet, id eſt, in navem abſcondit, ſicut Charinus in Mercatore de ſuis amoribus:

Nequiquam abdidi, abſcondidi, abſtruſam habebam.
Muſca eſt meus pater, nihil poteſt clam illum haberi.
Nec ſacrum, nec tam prophanum quicquam eſt, quin
Ibi illico adſit ——

Eàdem ſcenâ:

Is amabat meretricem æquè Athenis Atticis,
Et illa illum contra, qui eſt amor cultu optimus.

Priori verſu illud *æque* ſemper mihi ſuſpectum fuit, magis verò eſſe cœpit poſtquam in utroque manuſcripto eſſe comperi: *meretrice matre.* Unde quid exſculpam neſcio, niſi quod literam *m* ex præcedenti, ut ſolet, repetitam puto. quod ſi ita eſt, trajectis literis legere inclino:

Is amabat meretricem artè Athenis Atticis.

Quomodo & Plinius, artè aliquem diligere dixit lib. 2. epiſt. 13. Hunc ego, cum ſimul ſtuderemus artè familiariterque dilexi; ille meus in urbe, ille in ſeceſſu contubernalis: cum hoc ſeria, cum hoc jocos miſcui.

EPISTULA XXII.

CHRISTOPHORO à KRECKWITZ EQ. SILESIO.

MUltum mihi places, Kreckwitzi Nobiliſſime, quod more tui ſimilibus minùs uſitato eorum quoque auctorum, qui nobis ad politiorem literaturam faculam prælucent, lectionem minimè abhorres. quam tuam ſtudendi rationem ſi ſic pergere perrexeris, ne tu multò ſinceriorem & faciliorem Juris diſcendi rationem inſiſtes, aliosque ſtomachi ſui fatuitate, an cerebri vacivitate literarum politiorum faſtidientes aliquando longiſſimo poſt te intervallo relinques. Id autem ut ne deſiſteres, ſed in laudatiſſimo tuo curriculo ſtrenuus pergeres, has in doctiſſimum Grammaticum lectiones tibi transmittendas exiſtimavi. Apud Diomedem itaque lib. 3. cum de metris agit, leges: [Angelicum metrum celeritate nunciis aptum Steſichorus invenit. Id tale eſt: Incidi patulum in ſpecum Procumbente Priapo:] Quæ omnia auctiora & forte meliora in membranis exſtant hoc modo: [invenit. Unam enim ultimam ſyllabam detraxit hexametro, & fecit tale: Optima Calliope miranda poëmatibus. reſtitue quamlibet in ultimam ſyllabam & implebis hexametrum. Priapejum quo Virgilius in proluſionibus ſuis uſus fuit ita: Incidi patulum in ſpecum p. P.] Certè & Cenſorinus Virgilii verſum Priapejum adgnoſcit nec Angelicum vocat. Atque poſt aliquantò quam hæc ſcribſeram, comperi Scaligerum quoque in Caſtigationibus Catullianis hæc

eodem

eodem modo ex libro veteri ſuppleviſſe. quo minus de veritate dubitari debet. Poſtea de Anapæſtico volgatur : [Hoc tale : Optime divos cole ſi vis bonus eſſe. Proceleuſmaticum eſt, quale fecit Serenus : Anicula tenera propter iter obiit.] Vel hinc æſtima, amiciſſime, quàm verè de mendorum turba in hoc ſcriptore queri ſoleam. Sic enim hæc in v. l. leguntur : [Hoc tale eſt, quale illud : Cole ſi vis bonus eſſe. Proceleuſmaticum metrum eſt, quale fecit Serenus : Animula miſerula propter iter obiit.] Sed vel valdè me conjectura fallit, vel verſus Sereni depravatus eſt. & quid ſi legatur : *Animula miſerula properiter obiit.* Properiter, antiquum & elegans pro citò, properè. Eo Catullus utitur & Apulejus compluries. Neſcio quoque an hunc verſum ita olim ab alio emendatum legerim. non enim unius hujus loci gratia omnem meam bibliothecam velim evolvere. Si quis prior indicavit, de quo jam dubito, alieno uti nihil moror. Addam ejuſdem Diomedis ſequentia : [Moloſſicum metrum duriſſimum mihi videtur. hujus exemplum dat Cæſius Baſſus tale : Romani Gallis devictis ſunt victores. qui moloſſus conſtat ex tribus ſyllabis longis. Ea hoc modo in veteri libro ſcripta videas : [Celſius Baſſus tale : Romani victores Germanis devictis. omnes longæ ſunt, quia moloſſus conſtat ex tribus ſyllabis longis.] Quæ quanto volgatis veriora ſint, facile me tacente intellegis. quare ſiquidem veterum Grammaticorum lectionem inſtituere ajebas mihi, hæc omnia ad libri tui oram meo ſuaſu adnotabis meque quod facis diliges.

Epistula XXIII.

WOLFGANGO ZUNDELINO V. C L.

Tametſi, Vir præſtantiſſime, graviſſimis Sereniſſimi Principis conſiliis ampliter occupatus, minimè à nobis minorum gentium Criticis interpellandus fuiſti: quæ tamen adhuc de ſingulari humanitate & eruditione tua ex variis cognovi, eum in me tui amorem & cultum excitarunt, ut non poſſim ullo modo temperare, quin ut me novo virtutis & prudentiæ tuæ ſtudioſo & admiratore auctum te ſcires efficerem. quod adeò his literis meis ſtudioſè factum volo, & de his variantibus Apuleji lectionibus à te exiſtimari peto. Libro nono de aſino editum eſt: [Erat ei tamen uxorcula etiam ſatis quidem tenuis & ipſa, verumtamen poſtrema laſcivia famigerabilis.] Liber manu deſcriptus: *extrema laſcivia.* quod magis probo. Sic infra hoc libro: [Nefarium & extremum facinus perditæ feminæ tolerare nequiens, fuga me proripui.] Et rurſum: [Ingenti pavore domini illius & familiæ totius ad extremum ſtuporem dejecerunt animos.] Ibidem de iis qui ſortes in rebus agundis apud ſacerdotes Iſidis erogabant: [Si prælium capeſſiturus, vel latronum factionem perſecuturus, utiles necne proceſſus ſciſcitaretur; additam victoriam forti præſagio contendebant.] Sed malim cum mſ. *addictam victoriam.* quaſi jam à diis deſtinatam. Sicut in augurali quoque diſciplina aves addicere dicuntur. Sequitur: [His & aliis ſimilibus affaniis fruſtra blateratis, eos retrorſum abducunt pagani, ſtatimque vinctos in Tullianum compingunt.] Corrigo ex

ſche-

ſchedis veteribus. *Has & alias ſimiles afanias fruſtra altercantes eos* &c. Altercari pro alternatim loqui Apulejo ſuum eſt verbum. Paullò pòſt de jumentis in piſtrino: [Nec de die tantum, verùm perpeti etiam nocte, prorſus inſtabili machinarum vertigine lucubrabant pervigilem farinam.] Mſ. *pervigilam.* quod antiquitatem reſipit. velut Plautus *Noctuvigilam* dixit Curculione. Pagina ſequenti: [Tunc ſpretis atque calcatis divinis numinibus &c.] Elegantius videtur, quod in v. l. reperi: divinis mentibus. Sicut Ovidius:

Impetus hic ſacra ſemina mentis habet.

Eodem libro de anu conſiliatrice ſive ſtupri ſequeſtra: [Cum qua protinus jentaculo, ac dehinc vino mero mutuis vicibus velitatas cenas fraudulentas in exitium miſerrimi mariti ſubdolis ambagibus conſtruebat.] Firmat doctiſſimi Beroaldi conjecturam codex ſcriptus: *velitata ſcenas fr.* quod miror à Colvio, nimio novitatis ſtudio, præteritum vel neglectum. Nam *ſcenas* vocat Apulejus ſolens fraudes Tragicas, ut & infra hoc eodem libro de adultero qui ſub alveo diu abſconditus, tamdem doloris vi, quod ejus manus aſini calcibus conterebatur, ſe prodidit: [Repulſoque & abjecto alveo, conſpectui profano redditus, ſcenam propudioſæ mulieris patefecit.] Non multò poſteriùs: [Noſti quemdam Barbarum, noſtræ civitatis decurionem, quem Scorpionem præ morum acritudine, volgus appellat.] Mſ. *Scorpionem primorum rude volgus appellat.* Ibidem: [Mortem denique violentam & famem comminatus, ſi quiſquam hominum, vel in tranſitu, digitoneus eam contigiſſet.] Magnum verò malum, ſi mortuum fame adfligamus. Profectò friget hæc oratio, quâ priùs mortem, inde famem miſero

interminatur. Vide itaque commodius ne legerim. *Mortem d. violentam & infamem com.* haud dubie crucem intellegit. In poſterioribus quoque malui: *Si quiſquam omnium.* quomodo Plautum aliosque locutos comperi. Cicer. 4. Verrin. *an hoc dubitabit quiſquam omnium, quin is venalem in Sicilia juriſdictionem habuerit?* Infra, quomodo cuſtos heræ ſuæ additus Myrmex à Phileſitæro perſuaſus fuerit: [His & hujuſcemodi ſuadelis validum addens cuneum, qui rigentem prorſus ſervi tenacitatem violenter diffinderet.] Mſ. hujuſcemodi aculeis. Et placet. ita Cic. in Orat. *Horum oratio neque nervos, neque aculeos oratorios ac forenſes habet.*

EPISTULA XXIV.

THESSENIO à PARSOW, EQ. POMERANO.

MErito nunc ad te, Theſſeni Parſou, juvenis doctiſſime ſimul & Nobiliſſime, quæ mihi ſuper locis Plauti difficilioribus hodie commentari libuit, legenda & judicanda mitto, ſiquidem quàm multus adhuc in Plauto legendo & oratione tua exprimendo fueris, aliquammultæ literæ tuæ, quas ad Pflugium ocellum noſtrum dediſti, abunde declararunt. Eas autem (ne neſcias) Pflugius mihi, ut ceterarum rerum jocorum ſeriorum ſuorum conſcium me habere ſolet, ut legerem communicavit. Te ſi tam noſtræ hæ philologæ epiſtulæ delectare poſſunt, atque tuæ eleganter perſcriptæ lætitia, ſane non tralatitia, me adfecerunt, quod me laboris hujuſce mei pœniteat nihil erit. Epid. act. 2. ſc. 2. edunt:

Opus

Opus eſt homine, qui illò argentum deferat pro fidicina.

Nam telo non æquè opus facto eſt. PE. *quid jam?*
EP. *ne te cenſeat,*
Filii cauſſa facere. PE. *docte.* EP. *quò illum ab illa prohibeas &c.*

Verſum ſecundum variè nobis interpretantur, ſed mehercle parum ex Plauti genio. Lambinus etiam legit: *Nam te illo non æque opus facto eſt*, ut ſubintellegas, te illo ire. quam lectionem hieme Gallica frigidiorem ſentio, ad quem (ut cetera omittam) referentur ſequentia: *Ne cenſeat* &c. quis ille tamdem eſt, quem non oportet hoc cenſere vel ſuſpicari? nam nullius omninò mentio præceſſit. Certè ut in re dubia ſi non ipſum verum, at vero tamen proximum inveniſſe me confido. In Langianis manuſſ. & quibuſdam vetuſtè editis legitur: *Nam te lenoni æquè opus facto eſt*. Dixi in Arte Critica t, pro d, ſæpè poſitum. Suſpicor itaque: *Nam de lenone æquè opus facto eſt*, ne ſcilicet cenſeat te filii cauſſa fidicinam emere. nam ſi hoc odoretur in filii tui gratiam fidicinam à ſe non amittet. Vides quàm levi, imò quàm nulla pænè mutatione quantam lòco obſcuriſſimo lucem attulerim. *De lenone*, id eſt, quod ad lenonem attinet. qua phraſi Comicus noſter credo plus millies utitur. Sic propertius De me, de te ſimiliter extulit.

De me; mi certè poteris formoſa videri:
Mi formoſa ſatis, ſi modo ſæpe venis.

pro, quantum ad me attinet, ut de me heic dicam. De te, Parſovi; quodcumque alii contra noſtram lectionem dicent, tu modò de illius veritate dubitare noli. Bacchidibus ſc. I. cum diu jam adoleſcens Piſtoclerus animum contra illectum meritri-

ritricis offirmaſſet, ejus tamdem tamen delenificis dictis mollitur, ſuamque operam præter animi ſententiam promittit. Sic autem inter cetera loquuntur:

Tuus ſum, tibi dedo operam. BA. *lepidus es. nunc ego te facere hoc volo &c.*

In duobus manuſcriptis optimis: *Lepidus es nuga te facere hoc volo.* quam lectionem ego prius nugatoriam vocare auſus, nunc veriſſimam animi mutatus eſſe puto; hactenus, ſi Piſtocleri nomen interponatur hoc modo: PI. *nuga.* BA. *te facere hoc volo.* Illa adulescentem, quod ſuam meretrici operam polliceretur lepidum eſſe dicit: adulescens ipſe, non lepidum ſe, ſed nugas & hominem nihili eſſe contendit, qui quidem à meretrice ſe perduci patiatur. Sic & paullò ante dixerat: *Sumne autem nihili, qui nequeam ingenio moderari meo?* Fore autem ſi nugas illas in antiquum locum reſtituamus lectionem magis ex Plauti more & modo, me tacente intellegis. Ejuſdem fabulæ act. 4. ſc. 4. in colloquio ſervi Chryſali cum Mneſilocho & Piſtoclero reperies:

Vos duo eritis, atque amica tua erit tecum tertia.
MN. *Sicut dicis.* CH. *Piſtoclero nulla amica eſt.*
MN. *immo adeſt.*
Alteram ille amat ſororem.

Verſu ſecundo correxi: MN. *Sicut dicis Piſtoclero nulla amica eſt.* PI. *immo adeſt.* MN. *Alteram ille* &c. Ut ego tua verba audio, Piſtoclerus non habebit, quicum accumbat, amicam. Vides, opinor, quanto concinniùs perſonas collocarim, quare heic deſino & conſidero verſum ex ſc. 7. ejuſdem actus 4.

Qui terra odium inambulat & jam nihil ſapit.

Levi

Levi opera emendo : *& tam nihil ſapit* ; & nihil ſapere oportet, qui receptæ lectioni patrocinari volet. Utinam tam certum, quod ex Menæchmis propono act. 2. ſc. 3.

Eho Meſſenio accede huc. MES. *quid negotii eſt ?*
MEN. *Scire vis ?*
MES. *Quid ergò opus eſt ?* MEN. *opus eſt &c.*

Non ſatis perſpicio, quomodo reſponſio Meſſenionis ad illa, *Scire vis ?* rectè referatur. niſi forte *Quid opus* pro quale opus hoc eſt, accipiamus, ut quid facinus, quid nomen. Sed vix ita cenſeo. Manuſcriptus uterque codex ; pro *ſcire vis*, legit : *Suſſciri.* & in alterius margine adnotatum : *ſciſcitari & ſuſurra.* quæ mihi quaſi inſomnia videntur. Et profectò latet aliquid mendi, quod volgarii illi & hordearii literatores nequaquam eluent, docti etiam difficulter. Si tamen quid mihi in mentem venerit audire aves, ſuſpicor pro *ſcire vis*, legendum, *Sciſcita.* ut Meſſenio reſpondeat, quid opus ſit ut ipſe ſciſcitetur quidnam hoc ſit negotii. Ut ſic ſcriptum fuiſſe putem, facit quod in margine manuſcripti unius notatum, tamquam obſervatione aliquid digniſſimum : *Sciſcitari & ſuſurra.* quæ non dubito quin depravatè ex vetuſtiori aliquo libro deſcripta ſint. Notavit nempe librarius tamquam inſolens hoc verbum, *Sciſcita.* & ideo in ora libri adſcribſit : *Sciſcitare & ſciſcita.* quod ſi verum commentum non eſt, nihil tamen vetat eum, qui Suſpectas lectiones indicat, quod omnibus doctis vero ſimillimum videbitur, pariter proponere. Vale.

ritricis offirmaſſet, ejus tamdem tamen deleniſicis dictis mollitur, ſuamque operam præter animi ſententiam promittit. Sic autem inter cetera loquuntur:

Tuus ſum, tibi dedo operam. BA. *lepidus es. nunc ego te facere hoc volo &c.*

In duobus manuſcriptis optimis: *Lepidus es nuga te facere hoc volo.* quam lectionem ego prius nugatoriam vocare auſus, nunc veriſſimam animi mutatus eſſe puto; hactenus, ſi Piſtocleri nomen interponatur hoc modo: PI. *nuga.* BA. *te facere hoc volo.* Illa adulefcentem, quod ſuam meretrici operam polliceretur lepidum eſſe dicit: adulefcens ipſe, non lepidum ſe, ſed nugas & hominem nihili eſſe contendit, qui quidem à meretrice ſe perduci patiatur. Sic & paullò ante dixerat: *Sumne autem nihili, qui nequeam ingenio moderari meo?* Fore autem ſi nugas illas in antiquum locum reſtituamus lectionem magis ex Plauti more & modo, me tacente intellegis. Ejuſdem fabulæ act. 4. ſc. 4. in colloquio ſervi Chryſali cum Mneſilocho & Piſtoclero reperies:

Vos duo eritis, atque amica tua erit tecum tertia.
MN. *Sicut dicis.* CH. *Piſtoclero nulla amica eſt.*
MN. *immo adeſt.*
Alteram ille amat ſororem.

Verſu ſecundo correxi: MN. *Sicut dicis Piſtoclero nulla amica eſt.* PI. *immo adeſt.* MN. *Alteram ille* &c. Ut ego tua verba audio, Piſtoclerus non habebit, quicum accumbat, amicam. Vides, opinor, quanto concinniùs perſonas collocarim, quare heic deſino & conſidero verſum ex ſc. 7. ejuſdem actus 4.

Qui terra odium inambulat & jam nihil ſapit.

Levi

Levi opera emendo : *& tam nihil ſapit* ; & nihil ſapere oportet, qui receptæ lectioni patrocinari volet. Utinam tam certum, quod ex Menæchmis propono act. 2. ſc. 3.

Eho Meſſenio accede huc. MES. *quid negotii eſt?*
MEN. *Scire vis?*
MES. *Quid ergò opus eſt?* MEN. *opus eſt &c.*

Non ſatis perſpicio, quomodo reſponſio Meſſenionis ad illa, *Scire vis?* rectè referatur. niſi forte *Quid opus* pro quale opus hoc eſt, accipiamus, ut quid facinus, quid nomen. Sed vix ita cenſeo. Manuſcriptus uterque codex ; pro *ſcire vis*, legit : *Sufſciri.* & in alterius margine adnotatum : *ſciſcitari & ſuſurra.* quæ mihi quaſi inſomnia videntur. Et profectò latet aliquid mendi, quod volgarii illi & hordearii literatores nequaquam eluent, docti etiam difficulter. Si tamen quid mihi in mentem venerit audire aves, ſuſpicor pro *ſcire vis*, legendum, *Sciſcita.* ut Meſſenio reſpondeat, quid opus ſit ut ipſe ſciſcitetur quidnam hoc ſit negotii. Ut ſic ſcriptum fuiſſe putem, facit quod in margine manuſcripti unius notatum, tamquam obſervatione aliquid digniſſimum : *Sciſcitari & ſuſurra.* quæ non dubito quin depravatè ex vetuſtiori aliquo libro deſcripta ſint. Notavit nempe librarius tamquam inſolens hoc verbum, *Sciſcita.* & ideo in ora libri adſcribſit : *Sciſcitare & ſciſcita.* quod ſi verum commentum non eſt, nihil tamen vetat eum, qui Suſpectas lectiones indicat, quod omnibus doctis vero ſimillimum videbitur, pariter proponere. Vale.

Epistula XXV.

EVERHARDO MOLLERO HAMBURGENSIS.

Perquam mihi gratæ ſunt, quas nunc ſecundùm ad me ſcribis, literæ tuæ Philologicæ, cum ab ſe, tum quod ex locis veniunt, in quibus contemnere literas id verò eſt eruditum & Bonum Realem eſſe. Tu ſi me audis nec à te ipſo diſcedere voles, animum hunc tuum & in me & ipſas noſtras literas æternùm conſervabis. & inde eo major te laus manebit, quo vehementius tibi ab illis Marrucinis Tricongiis diſſentiendum eſt. Super Apulejano hoc Apolog. 1. [Eſt enim Craſſus iſte, qui non invitus de die in ganeas correpat.] quod ſuſpicaris invitis omnibus formis manuque deſcriptis libris legendum: *non inviſus.* ignoſce mihi, plus hæc habet conjectura ingenii, quàm veritatis. Vide mihi, quàm ſit feſtivè & acerbè ſimul dictum in luſtronem, qui nihil æque lubens faciat, quàm ut vel de die (cum id alii paullò honeſtiores noctis factitent) in cauponas jaceat. Ingenioſè tamen (quis neget?) conjeciſti. Inviſus ἀόριςῳ. ut ſæpe Apulejus. Si quidem, ut rectè ſcribis, moris erat, ut ſi quis in locum iret minus honeſtum, caput obvelaret, Cui docendo ſane bene adducis Apuleji, & Petronii loca. Sed nihil à te facit quod ex lib. 9. de Aſino laudas: [Et faciem adulteri videre cupiebam ex ſummo ſtudio, ſi tamen velamentum capitis libertatem tribuiſſet meis alioquin luminibus.] nam, ne erres, non adulter caput velaverat: ſed Apulejus tum aſinus erat luminibus obtectis, ut ex illo libro paſſim videre eſt. quod itaque petebas, quid

quid mihi animi ſit ſuper emendatione tua probè intellegis. Pergis autem in Epiſtula tua meum quoque ſenſum de verſibus illis percontari, qui in Catalectis Virgilii titulo. De ſpe, leguntur:

Sperat & in ſæva victus gladiator arena;
Sit licet infeſto pollice turba minax.
*** Et qui docenti jugulo tinctoria moto,*
Spem, quamvis lecto jam referatur, habet.

Mi Mollere, Schoppius ſum, non Oedipus: ne tu cenſeas. Quî enim ego potiſſimum, quid olim ibi ſcriptum fuerit, divinare poſſum? nam ariolari certè non didici. nec autem meum eſt, ingenium meum in iis exercere, quibus ipſe Scaliger næniam de ſalute dixiſſe mihi videtur. Si quidem Criticorum iſtorum ſolemnia inſanire, nec ſtultitiam meam ut ſolus ſciam facere velim, ſane argutari quædam poſſum. Sed non patitur hoc mea verecundia; niſi quod non multum à veſtigiis literarum devians in fine quis poſſit legere: *jugulat victoria, noto* &c. Ut noto lecto dixerit, velut 4. Æn. Dido moritura Iliacas veſtes notumque cubile Conſpicit. Sed & hoc ægroti ſomnium eſſe puta. Tu ipſe videris ut à me nonnihil adjutus veram loco illi medicinam facias. Interim vide, ſi in eodem illo carmine, cum legitur:

Spes neſcit vinci. Spes pendet tota futuri.
Mentitur: credi volt tamen illa ſibi.

recte atque ordine fecerit maximus Scaliger, dum ad oram adjecit: *pendet tota futuris.* quaſi tota ex futuris rebus pendeat. An verius ego legam: *tuta futuri.* Certè ego quovis pignore auſim contendere ſolam hanc veram eſſe ſcripturam, nec tu, opinor, refelles. Ibidem:

Omnia

Omnia promittit mota levitate Deorum.

nullum commodum ſenſum extundere adhuc potui, quare prope eſt, ut credam legendum: *nota levitate.* Sicut paullò poſt; ſpem mendacem Deam vocat. Pergam, ut occœpi, torquere. Sequitur:

Captivus durus illâ ſolante catenas
Perferet: & victos vincere poſſe putat.

puto ſcriptum fuiſſe: *ec victos.* lego: *hac victos. v. p. p.* Sicut paullò ante: *Audax: & clauſum qua putet eſſe nihil.* niſi fortè, quod non puto, ibi legi oportet: *qua jubet.* ut ſcriptum dicamus *tupet*, inde trajectis literis, *putet.* Sed ô nugæ! eo tamen veniam facilius merituræ, quod & auctori diſplicent ſuo. Similiter nugabar in illis:

Spes Marium movit turpi ſe credere limo,
Et tantum furto vivere velle virum.

nam tametſi ſciebam, *furto* eleganter pro furtim & latendo vivere poſitum: malui: *lucro vivere* f, pro t, ſæpe. Longobardici autem characteres inter t, & l, nihil diſtinguunt. nam *lucro vivere* proverbialiter dicitur, qui præter ſpem & opinionem vivit, ſi præſertim in ſummo fuerit periculo, ut ſi quis de loco celſo delapſus cervicem non fregit. Horat. *Quem fors dierum cumque dabit lucro Appone.* Ibid.

Spes ſequitur gravibus raſtris mala rura domantem.
In nova ſe nullâ cum ratione parat.
Semper adulatur: ſemper male fida vagatur.

Verſu ſecundo delirabam. vah! divinabam, inquam: *In bona ſ. vona* pro *bona* ſcriptum. unde alii *nova.* Putabam quoque tmeſin. pro, nulla ratione comparat ſe in bona, id eſt, ut ſit bona: quia ſemper adulatur, ſemper eſt malefida. Ibidem:

Defeſſi numquam ſpem poſueri rei.

Ma-

Malim : *Confeſſi*. etiamſi de facinore confeſſi ſunt & ſupplicium jam ſubire debent, tamen ſperant. Vide quo me tibi morigerandi ſtudium provexerit? ut contra morem & pudorem meum, tot calidas conjecturas exponerem.

EPISTULA XXVI.

FRANCISCO PITHOEO V. CL.

NUnc eo ventum eſt, ut quæ Diomedis lectionis in Adverſariis noſtris delituerant, eas tamdem in lucem producamus. Libro 3. volgant libri: [Trimeter Heroicus ex inferiore, quod ſupra dixi, ſed hoc Serenus novum facit hoc modo Tulitelus amiſſo tule. Vide hic præpoſita eſt una ſyllaba. Nam ſi eſſet tale: Reſpuis amiſſo tule, manifeſtè tres pedes eſſent, quos habet pars prior hexametri. Galliambum metrum eſt, quod apud Mæcenatem tale eſt: Ades inquit ô Cybele. Simile eſt illi: Veris & Favoni: Inferius comma ſuperiori ſimile eſſet, niſi amiſiſſet ultimam ſyllabam.] Papæ! audin ut deliramenta loquitur? Et ſanè ſi ego juratus minus ſanum locum quærerem, non potui, quàm hunc, quem adduxi, adducere. neque ut eum ex ſaltu mendarum ſalvum ſcio eliciam foris, niſi quod rectè & commodè facturus videor, ſi ſcripturam veterem proponam: [Trimeter herous ex i. quod &c. hoc modo: Culicellus acmaſſio (leg. amaſio) Tulle. manifeſtè t. p. e. q. h. p. poſterior hexametri &c. Ades inquit ô Cybele fera montium Dea. Superius comma quod eſt, Ades inquit ô Cybele, ſimile eſt illi, Vice Veris & FavonI &c.] Numquid dolendum eſt, Vir præſtantiſſime, tam egregia

gia veterum fragmenta adeò turpitur depravata & tanquam ſepulta jacere ? Lacrimas profectò mihi eliciunt, quoties Diomedem, Nonium, alios conſpicor, quorum operâ depravatiſſimi ad nos veterum verſiculi pervenerunt. Dent dii, qui nobis ex bibliothecis ſuis iſtos aliquando emendatiores emittant! quamvis, ut nunc homines ſunt, parum ſibi literæ habeant polliceri, ita omnes, penes quos libri veteres adſervantur, quæſtum quaſi carcerarium facere velle videntur. In id maximè laborant, ut bonis ſuis libris alios blandidicis dictis circumducant: quos ubi ſemel furtificis illis ſuis ungulis arripuerunt, ſatis eſt, numquam poſtilla poſſis recipere: vere tales, quos ille deſcribit: *Quod ſemel arripides numquam poſtea eripides.* At longè alia mens fratri tuo *Petro Pithœo*, viro omnium prædicatione majori: cujus obitu nupero quantam reſpub. jacturam fecerit, mecum lugere, quàm multis commemorare malo. Longè alia tibi quoque Franciſce, cui quantum pro edito nuper ex bibliotheca tua Phædro omnes literarum ſtudioſi debeamus, oratione mea haudquaquam adſequi poſſim. Tu modò, Vir clariſſime, per deum immortalem perge ſis veteres libros, qui penes te ſunt & erunt, in commune bonum publicare, alioſque exemplo tuo ad juvandam rem literariam inflammare. Interim alia arbitremur. Sequitur de Reciprocis in libris volgatis:

Nereides freta ſic verrentes cærula tranant
Flamine fidentes per mare velivolum
Velivolum mare per fidentes flamine tranant
Cærula verrentes ſic freta Nereides.

Sed in manu deſcriptis libris legimus:

Nereides freta ſic verrentes cærula tranant
Flamine confidens ut Notus Icarium

Icarium

Icarium Notus ut confidens flamine tranant
Cærula verrentes ſic freta Nereides.

hancque manuſciptarum ſchedarum lectionem Modio magis placere video. Ut Nereides fidunt natatu, ſic Notus fidit flamine, & utrique mare tranant. Sequitur verſiculus Sereni:

Pingere calumbicum eſt graphidem dare pentenolata.

Credo ſi omnes præter ſe Divus Scaliger ſecum adducat Criticos, ita non omnes hunc emaculare verſum poterunt, ac niſi ex libris ſcriptis melius quid afferatur, ſcilicet exulatum abiit ſalus. quin adeò nec membranæ juvare me quitæ ſunt, in quibus eſt: *Pingere collibitum eſt graphidem dare promite volarium.* Nam tametſi Modius pro *Dare*, malit *Date*: quid tamen hæc ſibi verba velint, equidem ignorare me fateor, nec conjecturis meis veteribus volo me deridendum propinare. Graphidem Budæus ille olim pater eruditionem putavit eſſe operis futuri deliniatam deſcriptionem: ſed veriùs eſt graphium & graphidem idem valere. Sequitur ibidem: [Serenus comma hujuſmodi fecit in his verſiculis in ſonito ſeptenarius cadens.] Ineſt profectò macula huic loco, quæ ſine manuſcripto, ſine judicio & ingenio magno vix videtur poſſe elui: Scripta autem lectio eſt: *Serenus mirum comma h. ſ. i. h. verſiculis: Viſioni meo ſeptuennis cadens.* De qua nihil habeo dicere, niſi quod non credo ſed ſcio in duos verſiculos diſſecari oportere:

Viſioni meo
Septuennis cadens.

Verſu tamen primo (nam & ipſe jam poſtremùm in Diomede delirabo, illud Divinabo, inquam) legi fortè poſſit: *Puſioni meo.* in altero: *Septuennis cadus.* notum enim, cadis annos inſcribi ſolitos.

niſi

niſi ſi verior eſt divinatio mea: *Septuenni cadunt.* ut de dentibus poëtam dixiſſe credamus: puſioni vel puero ſuo ſeptuenni dentes cadere, id eſt, exiſtere, naſci. velut Cenſorinus loquitur cap. 4. de die natali: [*De conformatione autem partus nihilominus in prima hebdomada dentes homini cadere: in ſecunda pubem apparere: in tertia barbam naſci:*] Et Plaut. Menæchm.

> *Quot eras annos natus, cùm te pater à patria avehit?*
> *M. Septuennis. nam tum dentes mihi cadebant primulum.*

Qui locus adeò illi ſimilis eſt, ut qui meus eſt animus, ſi ipſi ſoli quæ venumdares, ſimiliorem haudquaquam reperire poſſis.

FINIS.

IN-

INDEX

Verborum & formularum inſigniorum & rariorum; quæ in his SUSPECTIS LECTIONIBUS *vel reſtituuntur bonis auctoribus, vel alioquin explicantur.*

Numerorum prior librum; alter caput ejuſdem, ſive Epiſtulam denotat.

A.

Abducere pro abducere ſe à foribus. 2,15
Abducere pro adducere. 4,7
Abeſſe propè. 3,17
Ab illo nuncius, id eſt, illius. 1,17
Abi illum evocatum. 4,15
Abi quærere. 5,19
Abire pro Adire. 4,7
Ab ingenio ſenex, improbus. 5,3
Abſtare propè. 3,17
Abſtinere manu, pro non accedere aliquò. 3,5
Accendere, pro calefacere. 2,9
Accuſativus pro nominativo poſitus. 4,19
Aculei orationis. 5,23
Ad pro apud, ad forum eſſe. 2,11
Ad aquas ſterilis, pro quantum ad aquas attinet. 4,16
Ad ſe: ad illud, pro quantum attinet ad illud. 4,13
Ad incitas extremas redactus. 1,22
Ad nutum pœnas alicui dare. 2,18
Ad unum omnes. 5,8
Addicere victoriam. 5,23
Adero cubiculum tuum. 3,4
Aderunt ſcopulum. 2,10
Adfectare. 1,4
Adfectus pro ægroto. 5,5
Adfectatus. 5,5
Adflictare. 5,15
Adhoc pro præterea. 1,10
Adire manum alicui. 3,5
Admodum pro ferè circiter. 4,20
Admœnire. 3,3
Admovere alicui preces. 3,3

V

Ad-

Adſectat pro adſectatur. 1,4
Adventus Veneris, Deorum. 4,14
Adventores pro hoſpitibus. 4,12
Advortite animum edictionem pro ad edictionem. 3,15
Æſtus pro motu. 1,14
Æſtivo ſub ſole. 3,17
Ætate media. 5,19
Affirmari. 4,12
Agere aliquò pro agere ſe aliquò, conferre. 2,15
Agmina. 3,22
Aliquot hos dies. 3,15
Aliquî pro aliquo modo. 3,15
Alite bona. 1,11
Alium dicere. 3,15
Alterari. 5,23
A matre nihil injurium. 3,13
Amare nos dii quomodo dicantur. 2,17
Amare aliquem de aliquo, id eſt, propter aliquid gratum eſſe. 2,15
Amicum eſſe alicui. 4,17
Amittere pro dimittere. 4,15
Anima macra. 5,3
Animatus. 5,3
Antaus. 4,1
Antipotens gaudiis. 2,3
Appendium. 2,18
Appendio, onis, pro appendice, ſeu re qua appendet. 2,18
Arguo te hac. 5,1
Artè amare, diligere. 5,21
Ἀσπαςικόν. 213
Aſſimulare. 3,17
At etiam. 2,3
Atque pro ſtatim. 3,8
At ſcin' quemadmodum. 4,15
At tibi, imprecantis. 5,1
Attigit nuncius. 1,17
Attinere pro detinere. 3,22
Attulo pro adfero. 5,4
Attentare pro contrectare. 2,9
Audit, pro dicitur. 1,10 & 2,16.
Avi quâ, avi bonâ, malâ. 1,11
Autumare. 1,11

B.

Benè conſultum. 2,15
Bibere de infortunio & malo-dictum. 4,19
Bitere pro ire. 2,20

C.

Cadunt dentes. 5,26
Cadere ſaginam. 5,9
Calles amœnos incubare. 2,8
Cantitare. 4,14
Capere, amatorium. 4,15
Caput perjuri. 1,1

Capite relato & dejecto. 1,18
Carnificium, pro carnificum. 5,9
Cave regrediare, cave cuſtodias, id eſt, fac ut regred. cuſt. 1,6
Cenaſſis face. 1,3
Cetera, pro quod ad cetera attinet. 5,20
Circumplecti. 4,4
Circumtentus elefanti corio, 5,21
Cluis. 1,3
Cluo & clueo. 1,10
Cohum. 2,2
Colapho me icit. 3,1
Compaſcuus hortus. 3,22
Completus cum genetivo. 3,6
Confectum fidus. 3,22
Confeſſis omnibus reus. 4,12
Confeſſi rei. 5,25
Confrixa frumenta. 2,14
Conjuga pro uxore. 4,8
Conniſi vel connixi à conniveo. 5,1
Conniverat. 4,4
Conſaptum pennis aliquid tenere. 4,8
Conſerere ſermones, 1,10
Conſerta jumenta. 4,8
Conſultum benè, pro conſilium bonum. 2,15
Contentur alicujus rei. 2,8
Continuari pro comitari. 4,16
Convector pro comite. 2,20
Convenit pro conveniat. 5,11
Convitium in molles ut mulieres appellentur. 2,5
Cordi eſſe. 4,17
Credo non credet. 2,21
Crucis mors infamis. 5,23
Cuja mulier, cuja vox. 1,21
Cum extemplo. 5,15
Curare alicui rei. 4,1
Curſus percitus. 3,22

D.

Damnum pro ſumptu, jactura damnoſus pro ſumptuoſo. 1,5
Danunt pro dant. 2,5
Dare ſe aliquò. 4,3
Dare pugnam. 5,11
De aliquo amare aliquem, id eſt, propter aliquid. 2,15
De lenone pro quantum ad ad leonem attinet, de me, de te. 5,24
De me quid fiet. 2,13,20
Dedicare pro dicere. 3,21
Dejecto & relato capite. 1,18
Delibutus. 4,16
Delitus à delinendo, 3,2
Depoſivi. 5,15

Deſidere ab opere. 1,12
Deſipere mentis. 3,9
Deſtitutus abſolutè pro deſperabundo. 3,16
Determina. 4,20
Dic dum. 1,13
Dic ſis. 2,9
Dicere in aliquem. 3,3
Dictum pro juſſu, dictator. 5,1
Dii pro diei. 1,21
Diurnus. 2,4
Doctè conſulere. 2,7
Domo doctus, domi ſcire. 3,11
Ducere ſe aliquò. 2,15
Duo me de arbore, id eſt Do, demitto. 5,3

E.

EAdem, conciſè. 1,15
Eampſe. 3,21
Eapſe. 4,11
Ecferre. 2,21
Edim pro edam. 2,5
Effigia Veneris. 5,5
Effingere aliquem lapide, effingi pro abſtergéri. 3,8
Efforare pro perforare. 5,7
Ego me moror. 2,21
Ei pro hei. 3,1
Elata facies, pro erectâ, latâ. 3,16
Elefanti corio circumtentus. 5,21
En unquam, en uſquam pro umquamne 4,1
Enuntiare. 4,4
Ergò igitur. 5,13
Erogare. 4,20
Eſcendere. 1,21
Es fruſtra. 1,13
Eſt, pro verum eſt. 2,10
Eſt, quaſi nunc eſt. 4,7
Eſſe obviam, 2,15
Eſuriem pro eſuriam. 5,7
Etiam pro adhuc: nihil etiam, pro nundum. 1,18
Etqui, pro cur. 4,16
Et quis pro quis. 4,16
Evenat pro eveniat. 5,11
Eugepæ. 5,5
Evitari pro occidi. 4,13
Exanimus. 2,14
Exigere pectoris arcana. 2,10
Expergitus quis. 4,2
Experrectus quis. ibid.
Expetere alicui & in aliquem. 5,3
Exſpectationi eſſe. 4,15
Exſpectare obſcen. 4,21
Extemplo cum. 5,15
Extendere vincla. 2,19
Extrema laſcivia. 5,23
Extremum facinus, ſtuporem, id eſt, ſummum. 5,23

F.

FAc valeas. 4,13
Face cenaſſis. 1,3
Faciam cavebunt, pro fiet ut

ut caveant, faxo nuſquam appareat &c. 1,11
Factum, quid pallio tuo factum, quid de illo factum. 2,13.20. 4,3
Fama dilatatur. 4,4
Fama projecta. 3,20
Faſtidire alicujus. 2,9
Fatigat ultionem. 4,14
Faxo exurêre. 3.20
Feciale officium, bellum. 1,9
Fibra lucerna. 3,4
Fiet, quid me fiet & quid de me fiet. 2,13,20
Fingere pro tergere. 3,8
Flagrantia oſcula. 3,28
Fores dormiunt. 2,17
Fores amba. 2,19
Fruſtra es. 1,13

G

GNarurus, gnarurare. 3,18
Gradum move. 5,1
Gracia terra. 1,19
Graphis, idis. 5,26
Gravari aliquid. 5,5
Gratas gratias habere. 3,12
Gaudiis antepotens. 2,3

H.

HAbere gratiam, pro gratificari alicui. 3,9
Habitus & habitudo. 3,18
Habitior & pinguior. 3,18
Hac pro ha. 4,5
Hauſi partum pro perveni. 2,4
Heu res odioſas! 3,9
Hic homo de ſe ipſo dictum. 3,9
Hoc, non hoc longè. 1,9
Hoc propius. 1,9
Honor, pro onere. 5,21
Honeſtata, honeſta facies. 3,16

I.

IAmne ut ſoles. 4,12
Icit me colapho. 3,1
Ignaruris. 3,18
Ignarus pro ignoto. 4,12
Illâ pro illac. 4,7
Illa pro illi. 1,1
Illi pro illic. 1,21
Impetrare pro efficere. 4,3
Impleri ſpiritus. 3,6
In adſpectu alicujus attonitus. 2,12
In aliquem dicere. 3,3
In carmen canebant, pro in modum carminis: in lapidem pro inſtar lapidis. 1,4,5,12
In mentem eſſe, in memoriam habere. 1,17
In amorem hærere.
In mundo eſſe. 2,7
In unum pro omnes ad unum. 5,8
Inania, pro fictis falſis. 1,4
Incita, ad extremas incitas redactus. 1,22
Incertus erroris. 2,8
Inclutus. 1,10

Induere pro accuſare. 2,5
Inducere pro perſuadere. 5,3
Induem pro induam. 5.5
Ingenium ingenii pro natura ingenii. 2,17
Inhumanus, pro valde humano. 2,12
Injurium nihil à matre. 3,13
Inſipere mentis. 3,9
Inſuper exitio alicujus cachinnare. 1,5
Interibi pro interea. 3,1
Inter manus quid. 3,5
Inter rem novam. 5,19
Inter cenam: inter conventum: inter vias. ibid.
Interviſere. 4,5
Intus, id eſt, foras, intus egredi. 1,1
Intus domum pro in domum. 2,15
Inviſus qui non videtur. 5,25
Jocus, ſermo, riſus. 4,6
Ire prohibitum. 2,11
Is, qui; relativa. 2,7
Iſtò pro iſtuc. 4,7
Iſtò pro iſti. 4,12
Iſtim pro inſtinc. 1,21
Italiam venit. 1,19
Item pro ſimiliter. 4,13

L.

L Actes. 4,8
Lactare. 5,19
Laſſus animi. 5,19
Lautia quid. 2,22
Lenonia ædes noctu occentata. 3,1
Lenonium pro lenonum. 5,9
Loca, lautia dare. 2,22
Ludere verbum turpe. 4,18
Ludificare. 1,9
Lucrifacere. 1,9
Lucro vivere. 5,25

M.

M Pro cet vel z. 1,2,8
Macer ſpiritus pro anima fœtida. 5,3
Machina pro dolis. 5,21
Malum meracum & miſtum bibere. 4,9
Manu abſtinere, pro non accedere ad aliquem: cui contrarium manum adire alicui. 3,5
Manu eſſe pro in poteſtate. 3,5
Me, parelcon. 4,19
Me quid fiet. 2,13,20
Mecum unà. 5,17
Mecum mihi pro mecum. 3,7
Media ætate. 5,19
Meditans & melitans ut differant. 4,2
Melitare pro declamare. 4,2
Medicari. 4,17
Meminiſſe alicui gratias. 3,12

Memorandi pugnis, dolo. 3,17
Mentes divinæ. 5,23
Meracum malum bibere. 4,9
ad Metas extremas opulentiæ deducti. 1,12
Meus mihi, id eſt, meus. 3,7
Micantia oſcula. 3,20
Migrare pro mutare. 2,1
Mihi, parelcon. 5,21
Mille nummûm. 2,3
Miſerum ſpectatu. 2,8
Moles pro fallaciis. 5,21
Mordicibus vel potiùs mordicitus. 1,4
Mores mori. 1,15
Mori mores. 1,15
Morigerè morem geſſit. 5,19
Moror ego me. 2,21
Mors crucis infamis. 5,23
Morticinus pro mortali. 3,20
Move gradum. 5,1
Movere pro moveri. 2,15
Mulus. mulo imperitior. 2,9
in Mundo eſſe. 2,7
Munitus pro divite, Munire. 3,12
Muſſat pro tacet. 5,14
Mutare aliquo. 5,11

N.

NAſum, pro naſus. 4,15
Natura, pro pudendo. 4,12
Ne pro non. 2,5,1,9
Ne ſis me objurga. 1,21
Negotiator domini. 3,4
Nevis prò non vis. 2.5
Nenum pro non. 5,17
Nihil etiam pro nondum. 1,18
Nihil captio nihil negotium eſt. 3,9
Nitor capillorum. 3,14
Nocere aliquem, noceri. 4,6
Nocte occulere. 2,7
Nomus pro novimus. 4,21
Non hoc longè. 1,9
Non utique, pro non tantum. 4,13
Noviſſe artus pugnos alicujus. 5,21
Nugæ. 5,24
Nugas pro nugax, nugatorius. 2,1
Nullus pro non. 1,2
Nulla rei eſſe. 1,1
Nunquid me vis? 4,19
Numquî minus. 4,1
Nuncius tetigit, attigit. 1,17

O.

OB pro ad. 1,3
Obambulare prater os. 1,15
Obtinere omnia. 1,7
Obſtinatio pro obſtinato conſpectu. 1,6

Obviam eſſe. 2,15
Occedere pro obviam ire. 1,3
Occideres pro occidiſſes. 5,7
Occubare pro accubare. 13
Occulere nocte. 2,7
Odore naſum ſentit. 4,15
Offerre pro adferre. 1,1
Omnes univerſi. 5,13
Omnia obtinere. 1,7
Onus pro bonore. 5,21
Opimum prandium. 2,19
Oppilare. 4,1
In Ore omnium. 4,12
Oſcula vibrantia. 3,20

P.

PArere pro apparere, patere, notum eſſe. 2,20
Patulus pro amplo copioſo longo. 1,20
Pennis conſaptum aliquid tenere. 4,8
Percitus curſus. 3,22
Perduere pro perdere. 3,2
Perjurii caput. 1,1
Perjurare. 5,15
Peregrinatus. 1,6
Perpetuus pro toto. 5,13
Perpluunt tigna pro perpluuntur. 5,9
Perterrere pro depellere. 3,8
Perturbare, pro percellere, deicere. 2,14
Pervigila farina. 5,23
Phui! 5,9
Piſare. 1,16
Plenum jubar, plena ſidera. 3,22
Polita ædes. 4,21
Poſtibi, pro poſtea. 1,15
Poſtidem, pro poſtea. ibid.
Potens pietate, muneribus Veneris. 2,3
Potin' abeas. 5,19
Præceps pro temerario. 4,4
Præcidere aliquid. 5,5
Præpoſitio ad locum omiſſa. Venit Italiam. 1,19
Præſens tempus pro præterito. 3,13
Proferere linguam. 5,17
Præterhabere pro contemnere. Praut comparationum particula. 1,2
Præquam, praut. 1,14
Priapeius verſus. 5,22
Pro imbre, id eſt, tanquam imber: pro amica facere. 5,9
Proba, commoda. 3,5
Probus alicui, id eſt, utilis. 3,5
Probi. 1,13
Procelloſa maris. 2,12
Prodicere, pro prædicere. 4,14
Productus genere Thracio producere liberos, 2,8
Proferre, pro differre. 3,20
Projecta fama. ibid.
Pronunciare, pro prænunciare. 4,14

Prope abeſſe. 3,17
Properiter. 5,22
Proquam, pro, prout. 1,14
Proſpicuè conſulere in aliquem. 3,12
Proterere, pro contemnere. 3,20
Provectus, etiam ſine equo vel carpento. 2,20
In Proximum: in proximo. 4,7
Pugnos alicujus noviſſe. 5,21
Pugnam dare. 5,11
Puſio. 5,26

Q.

Qua avi. 1,11
Quà viri, quà mulieres. 1,7
Quæſtioni eſſe alicui. 4,15
Quantocius. 4,7
Quaſi nunc eſt. ibid.
Quî, adverbium. 2,13
Quî, pro quare. 3,19
Quî, pro ut. 4,13
Quî, pro quanti. 1,3
Quî die. 5,11
Quî te Di perdant pro utinam. 4,5
Qui, is, relativa. 2,7
Quia, pro quando. 5,9
Quid igitur? 1,19
Quid me fiet, de illo fiet. 2,13
Quid pro quantum. 1,3
Quid nomen. 3,7
Qui dum? 5,11
Quine, quæne? 5,7
Quin, cum indicativo & imperativo adhortandi particula. 3,8
Quiritare. 5,4
Quiſquam omnium. 5,23
Quoil, pro quoad. 4,6
Quod, pro propter quod. 1,17
Quod, ſcio quod dictura es, pro te dicturam. 4,9
Quòd particula mirè uſurpata. 4,17
Quom extemplo, 5,15

R.

Re experiar. 3,15
Recipere aliquò abſolutè pro recipere ſe. 3,11
Reddebo, pro reddam. 4,13
Rediit eò res. 5,15
Relato & dejecto capite. 1,18
Revidere. 3,22
Reniti, pro reluctari. 4,16
Renitentes crines. 4,13
Revenit res in eum locum. 5,15
Reus confeſſis omnibus. 4,12
Rumor pro fluvio. 1,11

S.

S pro Z. 2,8
Saginans colla ſerpens. 1,10

Sagina, Saginam cædere. 5,9
Sapſa. 4,11
Sceleroſa. 2,16
Scevæ, pro fraudibus, 5,23
Sciſcitare pro ſciſcitari. 5,24
Se, parelcon. 4,19
Securus metus. 4,12
Sed pro ſe. 4,15
Sed verò. 2,7
Selenium. 1,9
Semoto joco. 3,12
Serere ſermones. 1,10
Serere fallacias. 1,13
Sermo, riſus jocus. 4,6
Servitute ſervire. 4,7
Sexcenta tanta. 1,11
Si, particula eleganter omiſſa. 4,19
Si pro ſive. 1,21
Sic face, formula vocandi ad cenam. 1,3
Sicce pro ſic. 5,5
Sidum confectum. 3,22
Signifacere, pro ſignificare. 1,9
Simile, pro ſimiliter. 1,10
Sin, conciſè dictum. 3,7
Sis, ne ſis me objurga. 1,21
Sis, dic ſis, fac ſis. 2,9
Socci. 3,9. *Illam emendationem reperi etiam apud. Lambinum.*
Sodalitas plebeja. 1,12
Solæ pro ſolius vel ſoli. 1,1
Somno operam dare. 2,17
Spoliare, propriè veſtem exuere. Spolia pro exuviis & pro ſcorio quo nuces teguntur. Spoliarium. 2,20
Stercori, ablativus. 4,12
Strigæ, i. veneficæ. 1,10
Studioſus adulterio. 4,21
Sub æſtivo ſole. 3,17
Subigitare. 3,19
Sublinire & ſublinere os alicui. 1,12
Subſcititius. 4,8
Super pro de. 1,5
Super malo alicujus lubentem eſſe. 1,5
Supremus Jupiter. 4,14
Surgere lumbos, pro ſurrigere, attollere. 4,17
Suſpicationes. 1,18

T.

Tam, pro valde. 2,4
Tam infimus, tam maximus. 3,20
Tamenetſi pro Tametſi. 2,13
Tanta pro tot. 1,11
Tantus pro magno. 2,4
Te. parelcon. 4,19
Tecum ſociis pro tuis ſociis. 1,10
Tempus præſens pro præterito. 3,13
Tene tibi. 3,7

Termen & termentum. 4,20
Terra Græcia : terra Arabia &c. 1,19
Tetigit muncius. 1,17
Tibi, parelcon. 5,21
Timidus navi, pro ſolicitus pro nave : timere alicui. 4,21
Totum univerſum, perpetuum. 5,13
Tranſmitteres, pro tranſmiſiſſes. 5,7
Tu, particula ornatus cauſa interjecta, 2,11
Turbidus voltus. 2,14
Tuta futuri. 5,25

V.

VEnditare, abſolutè, pro venire, vendi. 2,17
Venefici dicebantur homines improbi. 1,10
Venit Italiam. 1,16
Venire amatorium. 4,21
Venus unde dicta. ibid.
Verbalia nomina caſum verbi regunt. 4,21
Verò, adfirmandi adverbium, prò verè. 4,20
Veſcus. 2,12
Veſcula glans. 2,12
Veſpera, pro heri veſperè. 1,4
Veſtes, pro putaminibus. 2,20
Vibrantia oſcula, 3,20
Vicem vindictæ. 3,22
Villator. 1,5
Vinum matre natum, 2,19
Vite vivere. 4,7
Vitis mater vini. 2,19
Ultrò citrò. 4,8
Volupe eſt. 3,21
Una mecum. 5,17
Univerſum totum. 5,13
Univerſi omnes. ibid.
Uno pro uni. 4,12
Urere & uri in aliquo, pro amare aliquem. 4,18
Ut, pro ubi vel poſtquam. 3,13
Ut, pro ubi. 5,15
Ut, particula cauſalis eleganter omiſſa. 2,15
Utique, non utique pro non ſolum. 4,13
Utrum utrum, pro utrumcunque : Utrumvis : Utrumlibet. 2,10

Z.

Z Pro cet. 2,8

AUCTO-

AUCTORUM
SYLLABUS,
Quà veterum, quà recentiorum, qui in his libris laudantur, reprehenduntur, corriguntur, augentur, explicantur.

Romanus numerus librum; barbarus epiſtulam libri denotat.

ACcius II. 7. IV. 1.
Achilles Statius Luſitanus. IV. 6.
Adrianus Turnebus. I. 16. IV. 14, 18.
Afranius. III. 8.
Agellius. I. 19. II. 1. IV. 17. *Correct.* IV. 6. V. 19.
Apulejus notatus. I. 4. II. 17, 20. III. 1, 6, 14. 17, 18. IV. 1, 6, 8, 10, 12, 16, 18, 20. V, 8, 9, 12, 13, 20.
Illuſtratus. IV. 14.
Correctus Lib. I. de aſino. I. 4, 6. II. 20. III. 8, 12, 18. IV. 6, 20. *Lib. II. de aſino.* I. 6, 22. III. 4, 6, 10. *Lib. III. de aſino.* I. 5. III. 8, 14, 16. *Lib. IV. de aſino.* III. 20, 22. *Lib. V. de aſino.* II. 10. I. 10, 18. *Lib. VI. de aſino.* II. 8. IV. 14, 16. *Lib. VII. de aſino.* IV. 10, 12, 21. *Lib. VIII. de aſino.* IV. 4, 8. *Lib. IX. de aſino.* II. 14. V. 23. *Lib. X. de aſino.* I. 18. II. 12, 16. *Lib. XI. de aſino.* II. 4, 12. *Apolog. prima:* V. 25. *Apolog. ſecunda:* II. 11. IV. 8.

Ari-

Ariſtænetus. V. 15.
Auſonius. I. 1. III. 18.

B*Arnabas Briſſonius J C.* II. 4, 13, 20, 22. IV. 19. V. 9.

C*Æſar.* II. 14.
Carolus Langius. II. 5.
Catalecta Virgilii emendata. V. 25.
Cato Origin. libro ſecundo. I. 1. *ſcribſit de Oratore ad Filium.* II. 2.
Catullus. II. 5, 9. III. 20. IV. 9. V. 15.
Cenſorinus. V. 22, 26. *Correctus.* I. 18.
Chariſius. II. 1.
Chriſtophorus Pflugius Eq. Miſn. I. 3, 7. III. 13, 21. V. 7, 21.
Cicero. I. 5, 6, 10. II. 1, 7, 10, 11, 14, 20. III. 7, 8, 20. IV. 1, 4, 6, 9, 12, 13, 17. V. 5, 8, 9, 21, 23. *Correctus.* II. 22.
Claudianus poëta. III. 16.
Claudius Juriſc. II. 8.
Cornelius Nepos. II. 13.
Cunradus Rittershuſius Juriſc. I. 1, 6, 9, 11, 13, 21. II. 3, 7, 9, 10, 11, 15, 17, 19, 22. III. 1, 3, 21, 22. IV. 3, 5, 7, 9, 13, 14, 15. V. 3, 11, 13.
Curtius. IV. 18.

D*Iomedes Grammaticus Correctus.* I. 16, 20. II. 2, 6. III. 2. IV. 2, 11, 22. V. 2, 4, 6, 8, 10, 12, 14, 16, 18, 20, 22, 26.
Suppletus. II. 2. III. 2. IV. 11, 22. V. 4, 14, 16, 20, 22.

Dionyſius Lambinus. I. 14, 19. II. 1, 8, 14, 17, 19. III. 1, 5, 15. IV. 13. V. 1. 5, 9, 24.
Donatus. I. 17. II. 15. III. 20. IV. 5, 15, 17. V. 21.

E*Berhardus Mollerus*. V. 25.
Ennius. I. 3, 16, 21. IV. 11. *Thelepho*. IV. 5. *Hecuba*. V. 11.
Euripides Alceſtide. III. 18.
F*Eſtus*. I. 3, 5. II. 12. IV. 11, 14. V. 5.
Franciſcus Juretus Juriſc. III. 9. IV. 16.
Franciſcus Modius Juriſc. I. 10, 18. II. 4, 8, 10, 11, 14, 16. III. 2, 22. IV. 8, 10, 12, 14, 16, 22. V. 2, 8, 10, 14, 16, 18, 26.
G*Abriel Rolandius Juriſc*. III. 10.
Gajus J C. IV. 13.
Gloſſæ B. Germani. I. 10, 16, 20, 21. II. 1, 20, 22. III. 18, 20. IV. 1, 2.
Gloſſæ veteres in Juvenalem. V. 12.
Godeſcalcus Stewechius Juriſc. I. 2, 6, 11, 14. II. 14, 20. III. 4, 6, 8, 16, 18. IV. 10, 16. V. 12.
Gulielmus Budæus Juriſc. V. 26.
H*Irtius de bello Hiſpanico*. III. 8.
Homerus. IV. 17.
Horatius. I. 5, 11. II. 3, 5, 8. III. 12, 17, 20. IV, 17, 18. V. 25.
Hubertus Giphanius Juriſc. Comes Palatinus, Doctor & Profeſſor. I. 1, 3, 11, 14, 19, 21. II. 1, 8, 15. III. 4, 21. IV. 14, 16. V. 11, 15.

Hugo

Hugo Donellus Juriſc. IV. 6,13.

J*Acobus Bongarſius* Juriſc. V. 9.
Jacobus Cruquius. I. 11.
Jacobus Cujacius Juriſc. II. 13.
Jacobus Lectius Juriſc. I. 14.
Janus Douza, Dominus à Noorthwykh. I. 15, 19. III. 13, 15. IV. 7, 11. V. 5, 7, 9, 21.
Janus Douza Filius. II. 7. III. 3, 15. IV. 6.
Janus Gruterus Juriſc. I. 4, 6, 8. II. 10. III. 4, 8. IV. 6, 9, 18.
Janus Gulielmius. I. 1, 3, 8, 9, 11, 15, 17, 21. II. 7, 13. IV. 17, 19. V. 7, 19, 21.
Janus Mellerus Palmerius. II. 15. V. 5.
Ignatius Hanniel Juriſconſultus. I. 12.
Incertus poëta. I. 11. IV. 13. *in Catalectis ſæpius emendatus.* V. 25.
Joachimus Camerarius Magnus. I. 6. V. 21.
Johannes Auratus. I. 16. II. 14.
Johannes Cæſarius. I. 20.
Johannes Sarisberienſis in Policratico Correctus. III. 7.
JOSEPHUS SCALIGER V. INL. I. 5, 10, 16, 19. III. 22. IV. 11. V. 22.
Iſaacus Caſaubonus. II. 2. IV. 8, 13.
Iſidorus. I. 10.
Juſtinus. II. 8.
JUSTUS LIPSIUS V. CL. I. 7, 9. II. 5. 17, 20. V. 3, 10.

L*Ævinus Torrentius.* V. 19.
Leges XII. tabularum. I. 5.
Livius. II. 22. IV. 9,17,20. V. 17.
Lucanus. II. 17.
Lucas Fruterius. III. 3.
Lucillius. I. 3. II. 9.
Lucretius. I. 17. II. 1, 7, 15, 20. III. 4,20. IV. 1,14,19. V. 13,19.
Correctus & illuſtratus. I. 14.
Ludovicus Carion *Juriſc.* I. 12. II. 1. V. 5.
M*Acrobius.* III. 22.
Manilius. III. 7.
Marcus Antonius Muretus Juriſc. I. 5. II. 5, 13. IV. 12,17.
Marinus Becichemus. II. 4.
Martialis. V. 20.
Martinus Antonius Del-Rio. I. 13.
Matthias Bergius Philoſophus & Theologus. IV. 1.
Melior Kochius Fr. Juriſc. IV. 13.
N*Onius.* II. 2,5,8,9,15. IV. 3, 17. V. 1, 17. *Correctus.* II. 13. IV. 13.
O*Vidius.* II. 20. IV. 18. V. 15,23.
P*Acuvius Peribæa.* I. 13.
Pandectæ Juriſc. I. 9. II. 10. IV. 13.
Perſius correctus. I. 16.
Petronius. I. 10. II. 4,20. V. 3.
Petrus Colvius. I. 4,6,18. II. 8,10,14. III. 10,16. IV. 4,6,14,20. V. 23.

Petrus Faber Juriſc. II. 4.
Petrus Pithoëus Juriſc. V. 26.
Petrus Victorius. II. 19.
Phædrus in Fabulis. III. 3, 5.
Philargyrius vetus Virgilii interpres. V. 3.
Philippus Beroaldus. V. 23.
Philippus Scherbius. II. 19.
Plautus Correctus. I. 4.
Amphit. notatus. I. 1, 11, 17. III. 8, 11, 15. IV. 9, 15, 20. V. 7. *Illuſtrat.* II. 19. *Correct.* I. 21. III. 7, 13. IV. 14, 19. V. 3.
Aſinar. notat. IV. 9, 19, 20. V. 15. *Correct.* I. 3. IV. 19. V. 17.
Aulul. not. I. 5, 9. II. 7, 9. IV. 11, 15, 17, 19. V. 19. *Correct.* I. 15. II. 21. III. 3. IV. 3, 9. V. 17.
Capteiv. notat. I. 11, 21. II. 3, 13, 19. IV. 9, 19, 20. *Correct.* II. 9. IV. 15. V. 11.
Curcul. notat. II. 17. III. 3, 9. IV. 9, 13. V. 7, 21, 23. *Correct.* I. 21. II. 13. III. 19. V. 9.
Caſin. notat. I. 1, 17. II. 13. III. 5. IV. 9, 13, 19, 21. V. 11. *Illuſtrat.* III. 19. V. 9. *Correct.* I. 11. II. 9. III. 7. IV. 19.
Ciſtell. notat. I. 13. III. 11. IV. 13, 17. V. 15. *Illuſt.* IV. 13. *Correct.* I. 5, 9, 15, 21. II. 9. III. 3, 7, 13. IV. 15. V. 11, 19. *Suppletus.* III. 3.

Epidic. notat. I. 1, 3, 17. II. 5, 7, 13, 15. IV, 19. V. 5, 7. *Illuſt.* III. 9. *Correct.* I. 17. II. 13. III. 9, 17. IV. 17. V. 24.

Bacchid. notat. I. 11. III. 8, 9, 11. IV. 11. *Illuſt.* IV. 13. *Correct.* I. 17, 21. II. 7. IV. 17. V. 15, 24.

Moſtell. notat. I. 9. III. 3, 9, 15, 18. IV. 5, 7, 15, 19, 20. V. 15, 19. *Illuſtr.* IV. 17, 21. V. 9, 13. *Correct.* I. 3. II. 15. III. 1, 5, 7. IV. 17. V. 9.

Menæch. notat. I. 2, 15. III. 7. IV. 19. V. 9, 26. *Correct.* I. 3, 19. II. 19. IV. 13. V. 1, 24. *Suppletus.* V. 1.

Milit. glorioſ. notat. I. 15. III. 9, 17. IV. 19, 21. V. 5, 7. *Correct.* I. 1, 3, 7, 12. II. 15. III. 21. IV. 6, 7, 14, 15. V. 3, 7, 21.

Mercat. notat. I. 17. II. 7. V. 3, 21. *Illuſt.* III. 11. *Correct.* I. 3, 12, 21. II. 21. III. 11. *Supplet.* III. 11.

Pſeudol. notat. I. 11. II. 21. III. 3, 7. IV. 1, 5, 7, 17. V. 11. *Illuſt.* III. 15. *Correct.* I. 1, 13. II. 7, 11. III. 15. IV. 19. *Supplet.* I. 1. II. 7.

Pænul. notat. III. 5, 12, 18. *Correct.* I. 3, 15, 17, 21. II. 5. IV. 7, 15, 19.

Perſa notat. I. 1, 11. *Correct.* I. 3. III. 1. IV. 7.

Rudent. not. I. 1, 21. II. 5. IV. 5. V. 7.

Illuſt.

Illuſt. IV. 8. *Correct.* I. 15. II. 9, 11. III. 7. *bis.* IV. 1, 5, 14, 21. V. 5.
Stich. not. I. 3. IV. 1, 5. V. 13. *Illuſtr.* II. 17. *Correct.* I. 19, 21. II. 9, 17. *Supplet.* II. 17.
Trinum. not. I. 9, 15. IV. 1, 5, 19. V. 9. *Illuſtr.* I. 19, 21. V. 9. *Correct.* II. 1, 3, 13. IV. 19. V. 13. *Supplet.* II. 1, 13.
Trucul. I. 13. III. 7, 12, 17. IV. 1. V. 3. *Illuſt.* IV. 13. *Correct.* I. 15. III. 12. IV. 11, 13. V. 11.
Hortulo. I. 3.
Plinius in epiſtul. II. 11. V. 21.
Pomponius. V. 1.
Priapeija explanata. IV. 12. *& emendata.* III. 7.
Priſcianus. I. 1. II. 1. *Correct.* V. 1.
Propertius. II. 3, 17. III. 22. IV. 21. V. 17, 19, 24. *Correct.* IV. 18.

Q*Uinctilianus.* V. 9.

S*Alluſtius.* IV. 19. V. 9.
Scipio Gentilis Italus. I. 1. IV. 8.
Seneca. II. 2.
Sereni verſus correcti. V. 21, 26.
Servius. I. 10, 17, 19. III. 8. *Correct.* III. 5. *Supplet.* I. 21. III. 22.
Simeo Boſius I. 21.
Simo Ulricus Piſtoris. IV. 9.
Siſenna. III. 29.

Suetonius. I. 5. III. 16. *Correctus*. IV. 6. V. 19.
Suidas. II. 19.
Symmachus. IV. 13. V. 9. *Correctus*. I. 2, 12. II. 20, 22. III. 9, 17. IV. 13, 16.

T*Acitus*. IV. 6, 12.
Terentius. I. 1, 17. II. 8, 11, 15. III. 20. IV. 1, 7, 15, 19. V. 15, 21.
Tibullus. III. 4. V. 10.
Titinnius. II. 9.
Turpilius. IV. 14.

V*Alerius Maximus*. II. 14.
Varro. II. 1, 10. IV. 2, 20. V. 1, 3.
Vegetius. IV. 6.
Virgilius. I. 5, 11, 19. II. 5, 9. III. 5, 16, 22. IV. 14, 15, 17. V. 1, 13, 20, 25.

FINIS.

Nomi-

Nomina eorum ad quos epiſtulæ in Suſpect. lect. directæ ſunt.

ABrahamus Ortelius, Geographus Regius, Antverpiam. II. 11.
Acacius Hülſius Juriſc. S. Cæſ. Majeſt. à Conſiliis, Noribergam. V. 16.
Adamus à Schmalenſche Eq. Pomeranus, Altdorfium, V. 21.
Adolphus Boy à Noortſtrand Holſatus, Spiram. V. 11.
Antonius Oiſelus Iuriſc. Pariſios. II. 13.
Antonius Riccobonus, bonarum literarum Patavii Profeſſor. I. 17.
Arnoldus Helius Flander Maximiliano Archiduci Auſtriæ à Secretis, Pragam. II. 3.
Auguſtus, Dux Brunſvicenſis & Lunæburgenſis, Tubingam. I. 2.
BAldaſar Rittershuſius, Brunſvigam. III. 5.
Bonaventura Vulcanius Græcarum literarum Leydæ Profeſſor. III. 11. IV. 4. V. 2.
CHriſtophorus à Kreckwitz Eq. Sileſius, Altdorfium. V. 22.
Chriſtophorus Pflug. Eq. Miſnus, Altdorfium. I. 10. III. 21. IV. 19.
Cunradus Rittershuſius I C. Altdorf. I. 3. III. 20. IV. 8.
Cunradus Schoppius, Haidelbergam. V. 20.
DAvid Hœſchelius, Auguſtam Vindelicorum. II. 21.
EBerhardus Mollerus I C. Wittebergam. V. 24.
Elias Thalwencelius Sileſius, Altdorfium. IV. 16.
FRanciſcus Iunius Biturix Theologus, Lugdunum Batavorum. V. 4.
Franciſcus Pithoëus Iuriſc. Pariſios. V. 26.
Franciſcus Raphelengius, Lugdunum Batavorum. V. 6.

Suetonius. I. 5. III. 16. *Correctus.* IV. 6. V. 19.
Suidas. II. 19.
Symmachus. IV. 13. V. 9. *Correctus.* I. 2, 12. II. 20, 22. III. 9, 17. IV. 13, 16.

T*Acitus.* IV. 6, 12.
Terentius. I. 1, 17. II. 8, 11, 15. III. 20. IV. 1, 7, 15, 19. V. 15, 21.
Tibullus. III. 4. V. 10.
Titinnius. II. 9.
Turpilius. IV. 14.

V*Alerius Maximus.* II. 14.
Varro. II. 1, 10. IV. 2, 20. V. 1, 3.
Vegetius. IV. 6.
Virgilius. I. 5, 11, 19. II. 5, 9. III. 5, 16, 22. IV. 14, 15, 17. V. 1, 13, 20, 25.

FINIS.

Nomi-

Digitized by Google

Nomina eorum ad quos epiſtulæ in Suſpect. lect. directæ ſunt.

ABrahamus Ortelius, Geographus Regius, Antverpiam. II. 11.
Acacius Hülſius Juriſc. S. Cæſ. Majeſt. à Conſiliis, Noribergam. V. 16.
Adamus à Schmalenſche Eq. Pomeranus, Altdorfium, V. 21.
Adolphus Boy à Noortſtrand Holſatus, Spiram. V. 11.
Antonius Oiſelus Iuriſc. Pariſios. II. 13.
Antonius Riccobonus, bonarum literarum Patavii Profeſſor. I. 17.
Arnoldus Helius Flander Maximiliano Archiduci Auſtriæ à Secretis, Pragam. II. 3.
Auguſtus, Dux Brunſvicenſis & Lunæburgenſis, Tubingam. I. 2.
BAldaſar Rittershuſius, Brunſvigam. III. 5.
Bonaventura Vulcanius Græcarum literarum Leydæ Profeſſor. III. 11. IV. 4. V. 2.
CHriſtophorus à Kreckwitz Eq. Sileſius, Altdorſium. V. 22.
Chriſtophorus Pflug. Eq. Miſnus, Altdorfium. I. 10. III. 21. IV. 19.
Cunradus Rittershuſius I C. Altdorf. I. 3. III. 20. IV. 8.
Cunradus Schoppius, Haidelbergam. V. 20.
DAvid Hœſchelius, Auguſtam Vindelicorum. II. 21.
EBerhardus Mollerus I C. Wittebergam. V. 24.
Elias Thalwencelius Sileſius, Altdorfium. IV. 16.
FRanciſcus Iunius Biturix Theologus, Lugdunum Batavorum. V. 4.
Franciſcus Pithoëus Iuriſc. Pariſios. V. 26.
Franciſcus Raphelengius, Lugdunum Batavorum. V. 6.

GEorgius Carolides Poëta Cæſareus, Pragam. V. 15.
Georgius Glacianus Eloquentiæ Profeſſor, Altdorſium. II. 22. IV. 9.
Georgius Michaël Lingelhemius Iuriſc. & Conſiliar. Archipalatinus Mosbacum. III. 22.
Georgius Queccius Profeſſor Ethicus, Altdorſium. II. 20. V. 5.
Gregorius Berſmannus, Serveſtam. V. 8.
Gulielmus Venceſlaus Baro à Rupa, in Bohemiam. II. 5, 12.
HEnricus Bockius Boruſſus, Patavium. III. 4.
Henricus Meibomius Poëta Cæſareus, Helmſtadium. IV. 11.
Henricum Salmuthus, Ambergam. IV. 21.
Hieronymus Arconatus S. Cæſ. Majeſt. à Secretis bellicis, Pragam. III. 3.
Hubertus Giphanius Comes Palatinus, Doctor Nobilis & Profeſſor, Ingelſtadium. I. 15.
Hugo Blotius Juriſc. Bibliothecarius Cæſarius, Viennam. I. 13.
JAcobus Bongarſius Galliæ Regis Legatus, Argentinam. I. 7.
Iacobus lectius Iuriſc. Genevam. I. 12.
Iacobus Monavius Iuriſc. Uratiſlaviam. I. 22. II. 4.
Iacobus Scheckius Iuriſc. Tubingam. III. 6.
Ianus Douza Filius, Lugd. Batavorum. II. 2. IV. 7.
Ianus Gruterus Iuriſc. Heidelbergam, II. 18. III. 8.
Ignatius Haniel Iuriſc. Reinsbergam Marchiæ. III. 1.
Ioachimus Camerarius Medicus I. F. Noribergam. I. 6.
Ioachimus von der Oſten Eq. Pomeranus, Patavium. V. 13.
Iohannes à Bredow Eq. Marchicus, Reinsbergam Marchiæ. III. 13.
Iohannes à Wouweren, Aurelianum. II. 15. IV. 6.

Iohan. Baptiſta Fabricius Juriſc. Auguſtam. II. 10.
Iohannes Caſelius, Helmſtadium. V. 17.
Ioh. Chriſtophorus à Iaſmund Eq. Megapolitanus, Patavium. V. 12.
Iohann. Georgius à Werdenſtein Cathadral. Eccleſiæ Auguſtanæ, Eyſtadinæ & Conſtantienſis Canonicus &c. Auguſtam Vindelicorum. V. 18.
Iohannes Ladiſlaus Philologus, Ambergam. III. 15. V. 14.
Iohan. Paſſerarius Iuriſc. Pariſios. II. 7.
Iohannes Poſthius Archiater Palatinus, Mosbacum. II. 8.
Iohan. Rodolphus Meiſius Tigurinus. V. 19.
Ioſephus Scaliger V. Inl. Lugdun. Batavor. I. 1. IV. 1.
Ioſias Mercerus, Birurigas. III. 2.
Iſaacus à Burgsdorff Eq. Marchicus, Marpurgam. IV. 5.
Iſaacus Caſaubonus, Montiſpeſſul. I. 19. II. 14.
Iuſtus Lipſius, Lovanium. I. 4,8. V. 3.
LAmbertus Canterus Theodori F. Ultrajectum. III. 16.
Ludovicus Camerarius Ioach. F. Ioach. N. Spiram. I. 16, 21.
MArcus Velſerus Conſul Auguſtanus. I. 5. II. 1
Marquardus Freherus Iuriſc. Coloniam. I 20. II. 17.
Martinus Baremius Philologus, Brunſvigam. IV. 13.
Matthias Hubnerus Pomeranus Iuriſc. Altdorfium. IV. 10. V. 7.
Matthias Klockius Iuriſc. Bibracum. III. 12. IV. 17.
Matthias Kuchelius Ulmanus, Altdorfium. III. 18: IV. 12: V. 9.
Melior Guldinaſtus, Altdorfium. IV. 20.
Melior Kochius I C. Marpurgam. III. 7.
Michael Virdungus Poëta Coronatus, Altdorfium. IV. 18.

NAthan Chytræus, Bremam, IV. 15.
PAullus Meliſſus, Com. Palat. & Eq. Civis Rom. Haidelbergam. II. 9. IV. 22.
Paullus Merula Juriſc. Lugd. Batav. III. 14.
Petrus Faber Juriſc. in Curia Tholoſana Præſes. I. 8. IV. 1.
Philippus Gulielmus à Bernſau, Dn. ab Hardemberg. I. 9.
Philippus Scherbius Med. & Philoſophus, Altdorfium. I. 11.
REimarus Seltrechtus Juriſc. Volgaſtum Pomeraniæ. II. 6.
SCipio Gentilis Italus, Altdorfium. I. 14.
Sigiſmundus à Burghauſen Eq. Sileſius, Coloniam. III. 10.
Solomo Pantherus ſive Riſinsky Illuſtriſſ. Principi Radivilio à ſtudiis, Vilnam Lituaniæ. IV. 3.
THeodorus à Senden Juriſc. Illuſtriſſimo Auguſto Duci Brunſwic. & Lunæburg. à ſtudiis, Tubingam. III. 9.
Theodorus Canterus, Conſul Ultrajectinus. II. 16. IV. 2.
Theophilus Richius, Electori Palatino à Conſiliis & Quæſtori Amberg. IV. 14.
Theſſenius à Parſow Eq. Pomeranus, Patavium. V. 25.
Tobias Scultetus I. C. & Poët. Coron. Coloniam. III. 19.
VOlradus à Pleſſen Eq. Megapolitanus, Illuſtriſſ. Electori Palatino à Conſiliis Haidelbergam. III. 17. V. 10.
Wolfgangus Zundelinus, Electori Palatino ab intimis Conſiliis, Ambergam. V. 23.

FINIS.